



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

Liber I. Tradit modum suscipiendi Sacerdottum, & explicat verba Missæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)



## In quo traditur modus accedendi ad sacerdotiũ, &amp; eo suscepto, Missæ sacrificium Deo offerendi.

## CAPVT PRIMVM.

## Quid præmittendum sit ante susceptionem Sacerdotij.

I. **P**rimo, suscepturi Presbyteratum, per Exercitia spiritualia piarum meditationum, & confessionis, non pauciorum quam decem dierum, se disponant, illaque cum seruore, & assiduã, quantum fieri poterit, actuum intensissimorum frequentatione peragant, tum vt lucentur Indulgentiam plenariam à Paulo V. concessam iis, qui per decem dies ad Exercitia secesserint, saltem duabus horis quouis die, vacando rerum Diuinarum considerationi, tum vt ita cum maiori puritate accedant ad Sacerdotalem characterem suscipiendum, & primam Deo hostiam in sacro altari offerendam, tum maxime vt plures & maiores ac efficaciores gratias Sacramentales Sacramenti Ordinis mereantur à Domino consequi, & eas suis operibus obtinere, ad munia sacerdotalia cum magno fructu obeunda, ad propriam & ad aliorum utilitatem. Experientia enim miris comprobata effectis, ostendit veritatem doctrinæ Theologicæ, asserentis, per Sacramentum Ordinis (sicut & per alia Sacramenta) præter gratiam sanctificantem, communem omnibus Sacramentis, virtutesque ac dona Spiritus sancti, in bonâ susceptione Sacramentorum recipi solita, confetti propriam ac specialem gratiam, re ipsa diuersam, eaque, vt meliores Theologi docent cum Sancto Thoma, sitam in actualibus auxiliis gratiæ, quæ conducunt, tum ad usum ipsius Sacramenti in aliorum utilitatem ritè exercendam, tum ad gratiam habitalem, annexamque, virtutes ac dona sub propria & speciali ratione huius Sacramenti, tuenda & conseruanda, & cum opus est, accommodatis actibus exercenda, post susceptum Sacramentum, vt post Valentiam, Suarezium, & Valquez & alios, bene asserit Tanner. Porro gratiæ Sacramentales, cum magnâ præparatione & seruore spiritus suscipientibus Sacramentum Ordinis, præsertim Sacerdotium, hæ à Deo solent concedi ordinariè plus vel minus pro quantitate dispositionis præmissæ susceptioni.

*Primò.* Deuotio magna etiam sensibilis in recitandis horis Canonicis, & Sacrificio Missæ offerendo.

*Secundò.* Magnum & practicum lumen ad discernenda peccata, in audiendis aliorum Confessionibus.

*Tertiò.* Accursus penitentium, conscientias, vel sacrilegis confessionibus, vel malè factis, vel

aliis peccatis intricatas habentium, ad petendum auxilium in Confessione, illudque in eâ iterata, inuentum.

*Quartò.* Gratia extrahendi penitentes è misero peccati statu.

*Quintò.* Notabilis profectus in virtute confitentium talibus Sacerdotibus, vel conuersationum cum illis.

*Sextò.* Agnitio peccatorum multorum antea non dictorum, in Confessione, vel ex obliuione, aut ignorantia, vel ex inconsiderantia & negligentia. Vnde mouentur ad Confessiones bonas coram talibus Sacerdotibus faciendas.

*Septimò.* Quies conscientie antea non habita, collata confitentibus coram talibus Sacerdotibus.

*Octauò.* Solet etiam Diuina benignitas extraordinarias gratias intuitu Sacramenti Ordinis, *extraordinariâ præparatione*, & seruore suscepti, conferre iis, qui eo, vt dictum est, modo Sacerdotium susceperunt. Deus enim, qui etiam inimicis suis, sine vllâ præparatione præmissâ, confert efficaciam auxilia ob suam bonitatem & Christi Domini merita, conuertendo illos, multo magis iustis, amicis suis & filiis adoptiuis, extraordinariè se eius beneficio supernaturali præparantibus ad suscipienda Sacramenta, confert extraordinarias virtutum gratias (quandoque etiam illas quæ vocantur gratiæ gratis datæ primæ classis, vt est donum prophetiæ & miracula patranda) idque intuitu extraordinariæ præparationis, & quidem talis, quæ non reperitur in ordinariis iustis, modo, quem videmus, valde ordinario se præparantibus ad Sacramentorum susceptionem. Hæc doctrina fundatur in experientia Dei seruatorum, & in SS. Patribus, & in bonâ Theologiâ, ad maximè in Dei more, qui non permittit se vinci ab hominibus eius gratiæ cooperantibus, sed eos suâ liberalitate vincit. Ideo inquit S. Chrysostomus h. 20. ad pop. *petitiones nostras semper multo excessu superat. Nec mirum. Quia, vt idem dixit b. 12. in 1. epist. Corinth. Deus magis nos amat, quam nos ipsi nos amemus.* Ideo extraordinariè se præparantibus ad Sacramenta, extraordinaria confert beneficia: & vt ait S. Dionysius Areopagita c. 1. diu. nom. *S. 2. Radium illum supersubstantialem sibi perseueranter instum, cui libet rei congruis illuminationibus (id est, donis) elementer attemperat, extraordinariis præparationibus dona extraordinaria concedendo.* Sic S. Casarius h. 3. ad Monachos. *Quantum nos addiderimus ad studium, tantum ille apponet ad adiutorium: quantum nos apposuerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gloriam.*

*Primò.* Nunquam peccant in dicendis ho-

ris

- S. Th. 3.  
p. q. 62. a.  
4. & in 4.  
d. 1. q. 1. a.  
4. q. 5.  
S. Bonau.  
2. 1. q. 6.  
Ricard. 4.  
q. 4. Sor.  
Suarez,  
Valentia,  
Valquez,  
Tanner.  
ro. 4. disp.  
3. q. 3.  
dub. 5. n.  
148. 149.  
150. 151.  
152. 153.  
2.  
Lugo d.  
4. de sacr.  
f. 3. n. 19.



ris Canonici & Sacrificio missæ celebrando.

*Secundò.* Per insperata, nec experta, sed repentina lumina in oratione, vel horas dicendo, vel missam celebrando, vel utrobique, cognoscunt res occultas futuras, & alias ad se, vel ad alios, præsertim eis confitentes, spectantes, necessarias & vitales.

*Tertiò.* Eodem modo clarè cognoscere solent, vel peccata occulta suorum pœnitentium, ab illis nunquam dicta in Confessione, vel alias res eorum secretissimas, nulli hominum notas, quæ ab iis factæ sunt, quarum clarâ & distinctâ manifestatione per tales sacerdotes iis ipsis factâ, moventur ad obediendum illis, in rebus animæ, & ad credendam eorum spiritualibus doctrinis, & ad viuendum meliùs.

*Quartò.* Semper seruentissimè dicunt missam & horas canonicas quouis tempore, etiam post somnum immediatè, & post occupationes valde distractiuas, dum tunc coguntur id facere, ob defectum temporis.

*Quintò.* Per lumina repentina cœlitus infusa, agnoscunt multas veritates, & doctrinas, humano studio & modo non acquisitas, ad se & ad alios perficiendos spectantes, quas, dum vel tradant oretenus, vel scribunt, eo prorsus modo, eas tunc primùm discunt, & scribunt, quo solent discipuli Philosophiæ vel Theologiæ in scholâ scribere res antea ignotas sibi, easque tunc primùm addiscere & excipere in chartam à dictante Magistro. Imò perfectiùs tales sacerdotes illas doctrinas percipiunt, quia non succellunt, & per partes, vti discipuli discunt, docente ac dictante Magistro, sed in instanti & simul, agnoscunt omnia, Deo per lumen insolitum, non humanum, docente, ad quæ postea scribenda & aliis declaranda, longo tempore indigent.

*Secundò.* Tempore Exercitiorum, præter frequentationem actuum supernaturalium intensissimorum, præsertim Contritionis, Humilitatis, Patientiæ, Dilectionis inimicorum, seu aduersariorum, Obedientiæ, Amoris erga Deum, deuotionisque, prout explicatur à Sancto Thoma, præter tales, inquam, actus, quàm intentissimos & frequentissimos, & summo animi conatu, applicatione, ac feruore quodammodo Seraphico, purè propter maiorem Dei gustum & consolationem peractos, purgent animam exactissimâ Confessione, seu Generali (si eam antea non fecerunt) siue aliâ æquiualentem, eo modo, quo illam facerent, si eis iam iam moriendum esset, ita vt nihil prorsus relinquunt in conscientia, quantumuis tenuissimum, & quod minimam vmbra aut speciem peccati redoleat, quod accuratissimâ & sincerissimâ Confessione non expient, vt hac ratione instar nitidissimi & purissimi adamantis, corpus & animam exhibeant diuinæ Maiestati, ad suscipiendum tantum & Sanctæ Ecclesiæ adeo necessarium, ac

Lancij Opusc. Tom. 2.

vilem Sacerdotalem characterem, seu potestatem, & ad offerendum primum Missæ Sacrificium, vnâ cum Episcopo, à quo ordinari debet, & postea aliud proprium & peculiare.

*Tertiò.* Eodem tempore Exercitiorum, per varias meditationes, quæ tunc solent fieri, ita conentur excitare se ad vitam deinceps meliùs & sanctiùs instituendam, & vsque ad mortem continuandam, vt planè mutentur in alios, & prorsus diuini homines euadant, & ex Exercitiis discedant pleni Deo, & ex hac vorâ & reali plenitudine, Deum in omnibus spirantes, præsertim in conuersatione secretâ cum Deo, & in Conuersatione publicâ cum aliis, vt deinceps illis verè conueniat id quod S. Gregorius à Sacerdotibus exigit: *Si sal sumus, condire mentes fidelium debemus, vt quisquis sacerdoti iungitur, quasi è salu ta-  
tu, æterna vita sapore condatur.*

h. 17. in  
Euang.

*Quartò.* Hoc autem vt consequantur faciliùs, Exercitiorum tempore hæc octo proderunt, si in illis ea fecerint & acquisuerint.

*Primò.* Benè ponderent puncta meditationis de fine, seu Fundamento, & in eis ponderandis saltem sex horas meditationum infumant. Item puncta de Regno Christi ex secunda hebdomada, & de duobus vexillis.

*Secundò.* Ad minimum quatuor horas impendant meditationibus, de grauitate peccatorum venialium, & eorum effectis: vt ita deinceps ab illis tanquam à specie colubri abhorreant.

*Tertiò.* Profundè penetrent, quæ & quanta passus sit Christus pro illis, vt eos sui imitatores insignes efficeret, & à tot malis & peccatis eriperet.

*Quartò.* Viuaciter & intimè perspicere conentur multitudinem & efficaciam mediatorum, quæ eis sunt data, & assiduè suppeditantur in Sanctâ Ecclesia, per quæ si eis rectè vterentur, etiam Seraphinorum Sanctitatem attingere, imò excedere possent.

*Quintò.* Serio indagent præcipua impedimenta sui spiritualis profectus, ob quæ non sunt assecuti illam perfectionem virtutum, quam assequi potuisset Christi beneficio, cum tot auxilia & media habuerint.

Hæc impedimenta vt plurimùm ad tria capita reducuntur.

*Primò.* Ad vitium vnum inueteratum, quod eum & Deo & hominibus reddit magis exosum, etiam si solùm veniale sit.

*Secundò.* Impedimento esse solent aliqua praua dictamina, perturbata ab inordinatis affectibus, rationis, quibus dictaminibus imbuta mēs, & bona aliorum consilia respuit, & diuinas inspirationes suffocat, & executionem bonorum propositorum in oratione & aliis factorum, aut retardat, aut omninò impedit.

*Tertiò.* Impedire solet aliqua causa extrinseca, cui Amor proprius nimium vel minus ordinatè adhæret: vti est, vel aliqua occupatio di-

R  
tracti.



tractiua, vel conuersatio aliqua minus recta, vel aliud quidpiam tale extrinsecum, quo nos priuare nolumus, etsi impellamur vel Superiorum monitis, vel propriæ conscientia impulsu, ad talia impedimenta abiicienda. His itaque impedimentis bene perspectis, arment se ferio & feruenter in Exercitiis, ad ea demceps radicatus euellenda, & prorsus amouenda sine dilatione & tergiversatione.

8. *Sexto.* Valde se arment contra omnes humanos respectus, & iudicia hominum imperfectorum contemnenda, ob quæ sæpe numero multa mala comitantur, multa bona omittuntur, & his modis magna obstacula ponuntur diuinis donis, quæ alioquin à liberalissima Dei manu perciperemus, cum verum sit, quod ait S. Chrysostomus Oratione de B. Philogono: *Benignus est Deus, & quemadmodum parturiens, cupit emitti fetum, ita & ille cupit effundere misericordiam.* Non erit autem difficile, humanos respectus, & iudicia contemnere, si penetraret Dei Excellentia, eiusque seuerissimum iudicium, in quo omnia nostra mala, & imperfectiones rigidissime examinabuntur & punientur, si hic non fuerit emendata & expiata.

9. *Septimo.* Procurent in se excitate desiderium insatiabile, congregandarum rerum quam plurimarum, profutarum in altera vitâ, hoc est, famem & sitim inexplebilem, meritorum plurimorum, & heroicorum, præ quibus omnia sunt nugæ, & ineptia, homine indignæ, homine, inquam, creato ut assequatur beatam æternitatem, & ditato tot medijs, & auxilijs ad eam in gradu altissimo consequendam, dummodò cooperetur Deo, se excitanti & adiuuanti, & tot modis nos ad se trahenti.

*Octauo.* Dent operam, ut in Exercitijs tale affectuum dominium acquirant, ut ad ferenda interna iudicia, & sententias externas, & ad eligendam vel fugiendam vel faciendam rem quampiam, non affectu nudo & nimio, sed rectæ rationis dictamini, congruenti cum veritate & æquitate, moueantur.

#### CAPVT SECVNDVM.

*Suscepto Sacerdotio que sint præstanda à Sacerdote.*

10. *S*uscepto Sacerdotio, dent aperam, ut eâ præparatione, diligentia ac seruire, per semihoram Missæ Sacrificium Domino offerant quotidie, quo illud primis Sacerdotij diebus, omnes communiter offerre solent.

Post sacrum, saltem quartam horæ partem impendant gratiarum actioni, & alijs deuotionis actibus, usque valde feruentibus. Cum autem tria potissimum membra, in Missæ Sacrificio circa sanctissimam Eucharistiam occupen-

tur, oculi, manus & lingua, peculiari studio conentur hæc membra ab omni etiam specie mali, incontaminata custodire, præsertim ab impurâ curiositate oculis, manus à scriptione mordaci, & omni fœditate linguam à vitis caritati contrariis. Nam, ut bene monet S. Chrysostomus, *quo non oportet esse puriorem tali fruente sacrificio: quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc diuidemtes, quod spirituali igne repletur, linguam, que tremendo nimis sanguine rubescit.*

Potro cum corpora soleant ciborum, quibus vescuntur, qualitates participare, æquum est, Conditiones Christi in Eucharistia existentis, Sacerdotes imitari, & moribus perfecte exprimere.

*Primo.* Promptam, exactam & constantem cum omnimodâ tractabilitate ac facilitate iudicij, & voluntatis obedientiam, cum exactissimâ coniunctam executionem. Si quidem Christus Dominus, ad verba consecrationis, etiam ab iniquissimo Sacerdote prolata, statim se sistit sub speciebus panis & vini.

*Secundo.* Humilitatem profundissimam, & occultationem Dei donorum talem, ut amentus nesciri, & pro malis, vilius, ac ineptis ad omnia reputari, & nolle apparere: Quandoquidem Christus verus Deus & homo, ita sub speciebus Eucharistia lateat, ac si ibi non esset, nullo iudicio specioso se suamque præsentiam prodens.

*Tertio.* Patientiam totalem in omnibus iniurijs, quam Christus exhibet, sine se male tractari, velsique, ab inimicis etiam suis, in peccato mortali communicantibus, & permittens, se etiam à vermibus & bestijs quandoque deuorari, & ignominiosè à Iudeis, magis, & hæreticis, tractari, sine vlla specie etiam iustæ vindictæ.

*Quarto.* Liberalitatem cum Deo, in communicandis ei supernaturalibus, naturalibusque rebus omnibus, quas ei donare & renuntiare possumus, præsertim omnes actiones nostras, ob eius amorem faciendas, iudicium proprium ac voluntatem, bonam opinionem apud alios, & bonam famam, commoditates non necessarias, honorem, & omnes temporis partes, in actionibus meritorijs transigendas, quemadmodum ille in Eucharistia se totum nobis communicat, ad eod intimè dans nobis suam diuinitatem & humanitatem.

*Quinto.* Puritatem eximiam, nulli imputari ex rebus creatis contrahendæ obnoxiam, sicut in Eucharistia Christus latens, etsi rebus fœdissimis per iniuriam admisceretur, nullas in suo corpore & anima contrahit maculas.

*Sexto.* Sincera zelum animarum, sine vilo respectu personarum, functiones sacerdotales obeuntem, sicut Christus in Eucharistia æque ignobiles ac pauperes pascit, ac nobiles & diuites,



res, non magis faminas & pueros elegantulos, quam mates & decreptos ac horridos senes.

*Septimò.* Paupertatem, imò, vt Sancti eam ap-  
pellarunt, *nuditatem rerum omnium*, vt rebus quam  
paucissimis & vilissimis, & facile parabilibus ac  
obuiis vramur, & in cubiculo; & in corpore,  
& in suppellectili, & in victu ac potu, sicut  
Christus in Eucharistia, præter suam diui-  
nitatem, corpus & animam, nullam habet  
adiunctam sibi in hærentem substantiam,  
sed sola accidentia in genere entis minimæ en-  
titaris, sine subiecto existentia, sibi non physice,  
sed tantum sacramentaliter vnita, sine vera in-  
hærentia subiectiua respectu corporis sui, tali,  
qualis est in aliis substantiis materialibus, na-  
turalibus & quantis, in eis, cum circumscriptione  
locali existentibus.

*Octauò.* Purissimam intentionem diuinæ glo-  
riæ in omnibus & singulis actionibus, sicut  
Christus in Eucharistia latet, ob nullum alium  
finem, quam vt nos cibando, quam sapissimè,  
in nobis & per nos gloriam Deo quam maxi-  
mam pariat.

*Nonò.* Propagationem efficacem diuinæ glo-  
riæ & salutis animarum, in quauis locorum  
parte temporis, occupationis, in quauis persona  
cum qua agimus, in quauis actione & verbo:  
sicut Christus est totus in tota Eucharistia, &  
qualibet eius minima parte reali, aptus causare  
omnes illos effectus, quos causare solet in rectè  
dispositis.

*Decimò.* Animum pacatum & planè imper-  
turbabilem in occasionibus aduersitatum & in-  
iuriarum quarumvis ac difficultatum: sicut  
Christus diuis speciebus Eucharistiæ, non di-  
uiditur, nec læditur, nec esse definit, quamdiu  
species durant, & si in minimas particulas com-  
minueretur à casu aliquo, & aduersitate, & in-  
iuria elementorum vel animantium.

*Vndecimò.* Plenam indifferentiam ad occupa-  
tiones, ad loca, ad cubacula, ad personas, ad offi-  
cia, ad omnia. Quia Christus in Eucharistia non  
detrectat locum vllum, sinit se poni vbi volunt  
Sacerdotes, etiam sceleratis; siue ponatur in pi-  
xide aurea, siue argentea, siue plumbea, tacet.  
Et quamvis ex se magis propendat ad perso-  
nas meliores, & loca magis sacra, & functiones  
maiores Dei gloriam continentes; tamen ad  
contraria applicatus, non renuit, & æquè faci-  
lem se præbet, ad deteriora, ac ad meliora, ita vt  
in eo non possit vilo indicio cognosci propen-  
sio ad meliora maior, quam ad deteriora.

*Dodecimò.* Totam animi applicationem, ad  
res minimas diuini obsequij, atque ad res ma-  
gna momenti. Sicut Christus est totus in hostia  
grandi, & totus in qualibet minima particula  
hostiæ, etiam ea quæ correspondet puncto  
Physico, & habet quantitatem visu impercepti-  
bilem.

*Decimotertio.* Plenam annihilationem omnium  
Lancicy Opusc. Tom. 2.

rerum, quæ in nobis Deo displicent, & præterea  
earum rerum, quæ nostro amori proprio pla-  
cent, sed perfectioni nostri status & conditio-  
nis, non sunt conformes, vt sunt peccata omnia  
deliberata, etiam minima, motus inordinati  
passionum vehementes, nos aliosque pertur-  
bantes, actiones etiam materialiter malæ, iudi-  
cij proprii tenacitas voluntatis propriæ, discre-  
pantis à rationabili voluntate Superiorum, æ-  
qualiumque, obstinatio; cura & desiderium com-  
moditatum non necessarium, amor bonæ  
opinionis apud alios, & laudum ac famæ bonæ,  
& honoris ac fauorum, & patrociniatum inor-  
dinatus appetitus; dictamina seculari statui  
magis conformia quam Religioso; Spiritus &  
modus procedendi, etsi in se non malus, pro-  
prio tamen statui, seu Ordini & gradui, in eo  
statu nostro, non conformis, sed, vt vocant, pe-  
regrinus, obligatio pænæ temporalis, peccatis  
quoad culpam dimissis debita, periculose con-  
uersationes, vel tales, quæ aliis in nobis rationa-  
biliter displicent; censura alienorum dictorum  
& factorum, ad nos ratione officij & superio-  
ratus non spectantes; asper & difficilis modus  
agendi, & conuersandi cum hominibus, præ-  
sertim alios inquietans, & perturbans; conuer-  
satio & locutio, factum redolens, nimis prudē-  
tiæ mundanæ magis similem, quam religiosæ.  
insincerus procedendi modus, dupliciter red-  
dolens: duritia capitis (vt communiter appel-  
lant) dum quis se non sinit à Superioribus faci-  
lè dirigi, & applicari, ad ea, quæ volunt. Quæ  
omnia, & his similia, annihilanda in nobis sunt,  
ex purissimo amore Dei, quandoquidem in  
Eucharistia, tota substantia Panis & vini annihi-  
latur, seu definit esse, & conuertitur in corpus &  
sanguinem Christi, ex nostri amore. Hoc pun-  
ctum est summi momenti. Est enim radix innum-  
erabilium bonorum, & eximie sanctitatis, si  
in nobis profundè plantetur. Vt autem profun-  
dè plantetur, & valdè radicetur, expedit tempo-  
re Exercitiorum, dum Dominus iniicit nobis  
ardentia desideria aliquid egregium faciendi  
pro ipso, in compensationem eius beneficiorum,  
vel ob alia motiua, hanc annihilationem  
nobis quodammodo obtrudere, vt eius acqui-  
rendæ infatigabile desiderium assequamur, &  
foueamus, & in occasionibus oblati, & vltro  
quoque à nobis quæsitis, illud re ipsa exequa-  
mur, siue vlla tergiversatione & exceptione.  
Hoc est enim esse *hostiam, Deo*, quam à nobis exi-  
git Deus ad Rom. 12. Qui nostri causa annihili-  
lavit semetipsum, seu *Eximianit semetipsum, for-  
mam serui accipiens*. Vnde præter alia bona exi-  
mia & multa, assequemur illud quoque, quod  
omni conatu nostro, si sapimus, curandum est,  
& meritò promissum est tum ab aliis Sanctis,  
tum à S. Gregorio Papâ: *Audenter dico, quia salu-  
tari hostia post mortem non indigemus, si ante mor-  
tem, Deo, ipsi hostia fuerimus.*

Phil. 2. 7.

1. 4. dial.

c. vlt. fin.

R 2

CAP.



## CAPVT TERTIVM.

*Quae requirantur ante Communionem vel Missam.*

12. **D**VO requiruntur, vita bona, & variae deuotiones, seu deuotae piae praeparationes. Quamuis enim sanctissima Eucharistia suscipi soleat, etiam post vitam malam, bona confessione expiata, hoc in loco pro iis tantum haec monita seu consilia, scribuntur, qui diuino beneficio à peccatis mortalibus abstinent, & pie viuunt. Ideo explicandum est, quae praeparatione seu dispositione huiusmodi personae ad sanctissimam Eucharistiam, vel Missam accedere debeant, ut in iis sanctissima Eucharistia copiosiores suos effectus relinquat. Dico ergo duo ad hoc illis necessaria esse.

*Primo.* Vitam bonam.

*Secundo.* Deuotiones varias.

13. **V**ita bona, etsi remota, est tamen solida dispositio ad Eucharistiam, deuotiones vero sunt dispositiones propinqua. Bonitas vitae necessaria ad recipiendos eximios fructus sanctissimae Eucharistiae, duo requirit.

*Primo.* Puritatem corporis & animae talem, vel acquisitam, vel magno conatu desideratam, qualis est alibi à me descripta, cum variis gradibus suis. Ad cuius complementum, conducunt monita à me data, de modis abolendi peccata venialia, & alia de modis euadendi poenas purgatorij.

*Secundo.* Requirit conatum quandam spiritualem, qui vitae nostrae accedit, tum ex operibus ordinariis, eo modo peragi solitis, qui explicatus est in Opusculo de Praesentia Dei, & in Opusculo de Negotiatione caelestium, tum ex operibus supererogationis, quae vltro adhiberi solent, ad Deum sanctius colendum, ut sunt opera externa mortificationis sensuum, frequens oratio, elemosyna, & alia opera pietatis. Ad utrumque autem conducunt monita data in Opusculo de cura minimorum. Quod si quis Dei ope assecutus est.

*Tertio.* Præiulia quae Deus largitur fidelibus suis seruis ( explicata à me in peculiari Opusculo ) accedens ad sanctissimam Eucharistiam, vel Missam, cum optimo animae suae ornatu accedet, & percipiet valde copiosos fructus huius diuinissimi Sacramenti, quod, ut docent Theologi, plures effectus & praestantiores confert iis, qui cum ratione gratia internâ habituali & actuali dispositione ad illud accedunt. Huc spectat modus viuendi, secundum monita data in opusculo, de negotiatione caelestium, qui viuendi modus, insignis est ornatu animae ac dispositio ad sanctissimam Eucharistiam. Sed ferè omnium optima dispositio est, vita exornata.

*Quarto.* Renuntiationibus separato Opusculo explicatis. Qui enim pro Deo priuando se rebus amori proprio iucundis, eas perfecte & ex corde renuntiauerit, experietur procul dubio, magnam Dei erga se liberalitatem in sanctissima Eucharistia, quia cum eximio animae suae ornatu ad sanctissimam Eucharistiam accedet, & tali, quo vix maior in hac vita esse possit.

*Secundum* quod requiritur ad bene communicandum, vel sacrificium Eucharistiae offerendum, sunt variae deuotiones, id est, variae piae considerationes, intellectus & pia affectus voluntatis, qui tanquam magis propinqua dispositiones, variis modis à vitæ spiritualis Magistris proponuntur. Meum consilium est, ut quisque illum sequatur modum, quo se magis sentit excitari ad pietatem, seu Dei, & rerum diuinarum gustum & amorem. Sicut enim non omnes cibi aequè omnium palato placent & gustui, nec omnes omnium ventriculo sunt accommodati, sed vnus vnus, alter alteri, ita & spirituales doctrinae ac monita, & pia considerationes & affectus, non omnes omnibus ardent. Ego eos hic proponam, qui mihi videntur magis viles, & vberem affectuum ac meritum materiam continentem.

## CAPVT QVARTVM.

*De actuali dispositione pro Communionem vel Missa dicenda.*

**L**oquar hoc capite de illâ dispositione, quae ante inchoatum sacrificium Missae praemitti debet, postea capite nono agam de dispositione quae adhibenda est immediatè ante susceptionem sanctissimae Eucharistiae, post dictum ter: *Domine non sum dignus.*

*Primo.* ob reuerentiam Dei in Eucharistia recipiendi mundo corpore, praesertim manibus accedendum est ad sacrum altare. Si enim Sacerdotes Leuitici, sacrificia Moisaica oblaturi, ex Dei praescripto debebant lotionem corporis praemittere, & populus vesci non potuit rebus sanctificatis, nisi prius aqua carnem suam lauisset, cum tamen sacrificia & Sacramenta legis veteris, fuerint infirma & egena elementa: & neminem potuerint iuxta conscientiam perfectum facere, nec vnquam auferre peccata; sed tantum erat umbra futurorum donorum; Quamò magis decet, ad nouae legis sacrificium & Sacramenta accedere, purgata à sordibus, etiam corporeis, carne, Christi corpus, sanguinem, animam, & diuinitatem, sacramentaliter & realiter intra se receptura, & diu intra se incarnatum Deum conseruatura.

*Secundo.* Praemittendae preces Ecclesiasticae Officij diuini, scilicet Matutinum, Laudes, & saltem



tem prima, si post ortum solis Missa dicenda sit, & alia, si tardius dici debet.

17. *Terid.* Si per tempus & occupationes licebit, præmittenda erunt alia spontaneæ preces, iuxta vniuersi cuiusque deuotionem, siue ex Missali vel Diurno, siue ex alio pio libello petite, pro hac ipsa te ab Ecclesiasticis scriptoribus compositæ, exemplo, tum aliorum sanctorum, tum Cassij Narnensis Episcopi, hanc ob rem laudati à S. Gregorio Papa. Mihi ex preces placent, in quibus petatur à diuinis personis, & à sanctis gratia dignè & cum eximio fructu accedendi ad sanctissimam Eucharistiam, vel eius sacrificium. Exempli gratia, posset peti, etsi breuiter, sed ardentè hoc modo.

*A Deo Patre,* Vt det tibi Filium suum in sanctissima Eucharistia cum illo affectu, & illa celestium donorum copia, cum qua eum dedit B. V. Mariæ in Christi Incarnatione.

18. *A Deo Filio,* Vt se tibi cum eo affectu, & cum ea celestium gratiarum plenitudine, communicet in sanctissima Eucharistia, cum qua se communicauit Matrisuæ, in sua Incarnatione.

*A Spiritu Sancto Deo,* vt ita te præparet ac disponat ad recipiendum, sanctissimam Eucharistiam, & vt per eam tantum donorum suorum tibi largiatur, quemadmodum præparauit & disposuit corpus & animam B. V. ad Christi conceptionem, & quantum per eam illi attulit celestium donorum.

*A Beatissima Virgine Maria* pete, vt tibi impetret tantum amorem erga Deum, in sanctissima Eucharistia recipiendum, quanto eum persecutus est, dum eum in suis vliis gestaret.

*A SS. Angelis,* tantam pete Reuerentiam, cum quanta seruiunt Domino Deo in hac vita, & nunc seruiunt in cælo.

*A SS. Animabus* pete, vt tibi impetrent tantam deuotionem & tantam abundantiam virtutum, cum quanta illæ in carne mortali uiuentes sanctissimam Eucharistiam susceperunt in Communionem Laica, vel oblatione Missæ sacrificij.

*Denique à Christi humanitate* pete, vt se tibi communitet cum eo affectu, cum quo suscepit carnem nostram, & cum quo eam pro nobis morti exposuit, & cum ea virtutum plenitudine, quæ quàm maximè respondeat efficaciæ meritum vitæ, Passionis & mortis eius, vt per hanc plenitudinem virtutum, tua humanitas reddatur quàm simillima sanctitati humanitatis Christi, & tu has membrum proportionatum, quàm maximè capiti tuo, siquidem ille est caput nostrum; & corpora nostra membra Christi, & nos sumus membra corporis eius, de carne eius, & ossibus eius: præterea, membra nostra templum sunt Spiritus sancti: Quocirca summa sanctitate & puritate nitere debent.

*Quartid.* præmittenda Sacramentalis Confessio, si conscientia maculata sit aliquo peccato etiam veniali alicuius momenti, exemplo S. Caroli Borromæi, qui quotidie ante sacrum confitebatur. Vti & B. Franciscus Borgia, & B. Ludouicus Bertrandus, & exemplo S. Ignatij, qui Missam dicere ausus non est, nisi præmissa huius solius rei Confessione, quòd erratum cuiusdam, tribus patribus aperuisset, cum duo ad remedium adhibendum sufficerent, & tamen is erat qui deliquerat, vt vno illo errato diuulgato, nihil eius existimatio apud tertium illum Patrem laderetur. Ita Ribad. in l. 5. c. 6. Vita S. Patris. Certè si domum nostram quisquam diues aut præpotens amicus intraret, inquit S. Gregorius, omni festinantia domus tua mundaretur, ne quid forte esse esset, quòd oculis amici intrantis offenderet. Tergat ergo sordes prauis operis, qui Deo parat domum mentis.

*Quind.* Ad tollendam vel totam vel partem pœnæ (peccatis quoad culpam remissis debita) querenda est aliqua indulgentia ex iis quæ à Sede Apostolicâ concessæ sunt, certis vel coronis vel precibus, quia purior erit anima, si etiam ab obligatione pœnarum liberata, ex toto vel ex parte, recipiet fontem puritatis & sanctimonie Iesum Deum. Ideoque capaciior erit ad recipienda eius dona maiora, si huic puritati acquirenda studuerit eo sine, vt eum dignius recipiat, & iucundius ei præparet habitaculum in corpore & anima sua.

Porro modi Indulgentias acquirendi possunt esse hi; Gregorius XIII. concessit cuiilibet Sacerdoti dicenti infra scripta verba, Indulgentiam 50. annorum.

Ego volo celebrare Missam, & consecrare Corpus & sanguinem Domini Nostri Iesu Christi, iuxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem Omnipotentis Dei, totiusq; curiæ triumphantis: & ad utilitatem quoque meam, totiusq; curiæ militantis: pro omnibus qui se commendarunt orationibus meis in genere & in specie, & pro felici statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ penitentia, gratiam & consolationem Sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis Omnipotens & Misericors Dominus.

Qui è Societate Iesu sunt (vt & alij Religiosi mendicantes) dicendo Psalmum: Misere mei Deus, consequuntur Indulgentiam plenariam per communicationem Priuilegiorum, ex concessione Xisti IV. & Iulij II. Compend. Priu.

Præterea ex concessione Xisti IV. consequuntur indulgentiam vndecim millium annorum, Qui ante imaginem Beatissimæ Virginis Mariæ, de sole nuncupatam, deuotè dicent hanc orationem:

Aue Sanctissima Maria, Mater Dei, Regina cæli, Porta Paradisi, Domina Mundi, pura singularis tu es virgo: tu concepisti Iesum sine peccato; tu peperisti creatorem & Saluatorem mundi, in quem non dubito: libera me ab omni malo; & ora pro peccatis meis. Amen.



Et Alexander VI. A. 1494. concessit 30. milium annorum Indulgentias, dicenti ter ante imaginem Sanctæ Annæ & Deiparæ, & eius filij, hanc Orationem: *Aue gratia plena, Dominus tecum, tua gratia sit mecum, benedicta tu in mulieribus, & benedicta sit Sancta Anna Mater tua; ex qua sine maculâ & peccato processisti, Virgo Maria ex te autem natus est Iesus Christus Filius Dei veri. Amen.*

24. Concessit Ioannes XXII. 300. dies Indulgentiantum orationem: *Anima Christi Sanctifica me; Corpus Christi salua me. Sanguis Christi inebria me: O bone Iesu exaudi me: Intra tua vulnera absconde me: Ne permittas me separari à te: Ab hoste maligno defende me: In hora mortis mee voca me: & iube me venire ad te: Per cor sanctis tuis laudem te in secula seculorum: Amen.*

25. *Secundò*, valdè procurandum est, ut cum magno feruore accedas ad sacrificium Missæ, illudque offeras: quia eò maiores effectus suos communicat Eucharistia, & ut Sacramentum, & ut sacrificium, quò maiore deuotionis feruore suscipitur vel offertur, ut docet S. Thomas. Hic autem deuotionis feruor, querendus est, tum per inuocationem auxilij diuini (per quod nobis communicatur) tum per pias considerationes seu Meditationes, etsi non longas, breues certe, sed cum magnâ mentis applicatione, & seriâ ponderatione factas, iuxta illud Sancti Spiritus dictum: *Et in meditatione meâ exardescet ignis.*

## CAPVT QVINTVM.

*Considerationes pie ante Missam.*

26. *Primò*, Considera, te vnâ cum Christo ipso tanquam principali Sacerdote, (ratione suæ humanitatis) Sanctissimæ Trinitati sacrificaturum (ut docet Concilium Tridentinû & Theologi cum S. Thoma) *Non sunt humane virtutis opera hæc, quæ proponuntur, qui tunc ipsa fecit in illâ cœnâ idem ea nunc quoque facit, nos ministrorum renemus locum, qui verò sanctificat ea, & immutat ipse est,* inquit S. Chrysostomus. *Hæc est illa mensa, inquit idem ibidem, & minus nihil habet, non enim illam quidem Christus, hanc autem homo perficit, verum & hanc ipse quoque.* Cum ergo Christus ut homo, inuisibiliter cum summo feruore, hoc sacrificium offerat, æquum est, & te eius in eadem numero oblatione externâ, ministrum, summo feruore visibiliter, idem sacrificium offerre, & in illo, Christi corpus recipere, aliisque dum opus est, distribuere, & per illud applicare & distribuere fructum meritorum Christi, tibi & aliis: cuius fructus quantitas, respondet quantitati deuotionis & feruoris, ut ait S. Thomas loco citato.

27. *Secundò*, Considera, te in sacrificio Missæ, fungere officio legati, missi à tota Ecclesia militante, & ea quæ est in Purgatorio, & ea quæ est in

cælo, missi ad tractanda summi momenti negotia, cum sanctissima Trinitate, publico totius Ecclesiæ nomine. Ideo iuxta decretum Concilij Trid. Missa in quâ solus Sacerdos communicat, censeri debet communis, non tantum eius nomine priuata oblata, sed nomine totius Ecclesiæ Dei grauisima negotia, diuinæ Maiestati per sacerdotem proponentis. Hæc autem sunt negotia.

*Primò*, per hoc sacrificium offertur Deo tributum, cuius oblatione illum recognoscimus tanquam supremum rerum omnium Dominum, cui omnes creaturæ subiectæ sunt, tanquam suo Creatori, Imperatori, Domino: omnes sunt tanquam nihil in conspectu illius, summiæ Maiestatis. Hinc in Missa dicimus consecratur corpus & sanguine Domini: *Hanc igitur oblationem seruauit nostræ &c.* Opus ergo magno feruore, ut hæc recognitio supremi dominij, & nostri summi nihili, fiat proportioata infinitæ illi Maiestati, quam in sacrificio agnoscimus, reueremur, & adoramus profundissimè, laudamusque & benedicimus eius infinitam excellentiam.

*Secundò*, per hoc sacrificium redditur gratiarum actio diuinæ Maiestati, pro omnibus beneficiis eius, quæ ut author naturæ, & gratiæ, & gloriæ, ab æterno amatis creaturis suis, in tempore tribuit huicque, ab initio mundi, & deinceps tribuet. Inter quæ cõputanda sunt Christi humanitati concessa, & omnibus Sanctis eius; quam ob causam in Missa quauis dicimus: *Dignum & iustum est, nos tibi semper & vbique gratias agere.* Et, ut dicitur in Concilio Tridentino, *Gratias agimus pro victoriis Sanctorum, quoniam in eorum memoriam Missam dicimus.*

Cum ergo sit penè innumera moles omnium beneficiorum concessorum, præsertim Christi humanitati, & Sanctis eius, & aliis per tot sæcula, & per tam vastam mundi rotis amplitudinem, etiam per res ratione carentes, & vita functis; magnam esse oportet amplitudinem feruoris in hoc sacrificio, ut correspondeat amplitudini innumerorum & eximiorum beneficiorum Dei, præteritorum, præsentium, & futurorum, nam & pro his, tanquam prædestinatis ad futurum tempus, gratiæ possunt agi, sicut & Christus egit gratias, pro futura Lazari resuscitatione, antequam ea contigisset.

*Tertio*, per hoc sacrificium placatur diuina Maiestas, offensa à tot sæculis, & penè innumeris & abominandis hominum tam multorum peccatis, ne propter ea nos puniat, sed potius ab iis nos liberet, & postea ab iis mundet, & ab ea dignos fructus penitentię & satisfactionis peccatores conuersos facere faciat, & à futuris præseruet. Quapropter in Missa sacrificio dicimus, offerentes panem consecrandum: *Suscipe sancte Pater &c. hanc immaculatam hostiam, pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus meis.* Cum ergo sint tam multa, & valdè horrenda in toto mun-



do peccata, adeo seuerè nonnunquam in confpectu hominum à Deo punita, quæ ne quidem in Inferno ita puniuntur, ut merentur puniri, & in quorum remissionem, fit in sacrificio applicatio efficacie ac virtutis, quam ad hoc habet Passio Christi, quemadmodum docet Concilium Tridentinum, & S. Thomas, ut per hoc sacrificium Deus adeo offensus & iratus placetur, summius deuotionis feruor in sacrificando debet accedere, ut corresponsdeat multitudini & magnitudini peccatorum, & grauitati diuinæ offensæ, & iniuriæ Deo per peccata, à vilissima creatura illatæ.

Quartò, per hoc sacrificium sacerdos conatur impetrare omnia necessaria, tam vitiis quàm defectibus. Cum ergo sint penè infinitæ necessitates creaturarum, etiam irrationalium, sed maxime hominum tam multorum, in infidelitate, Indulsiō, hæresi, peccatis, viciis, & tot periculis, angustiis, molestiis, multiplicibus vallatorum, & profundè in hac miseriarum valle, & in pœnis alterius vitæ gementium; ut omnes & singuli recipiant peculiare Dei auxilium, vel saltem solatium (cùm sint tam multi qui ad illud suspirant) æquum esset, quodam infinito feruore hoc sacrificium Domino offerre.

Hoc punctum benè ponderetur, adductis in memoriam tot hominibus existentibus in peccato mortali, tot pauperibus & viduis & pupillis in summâ egestate constitutis, tot vexatis à morbis, litibus iniquis, ideoque flentibus, & misericordiam Dei implorantibus. Solet enim vehementer cor accendi, ad deuotionis feruorem, harum calamitatum seriâ consideratione, si ea fiat corde Christiano, quod plenum commiseratione tenerrima esse debet erga animas Christi sanguine redemptas.

Porrò necessitates præcipuæ quæ Domino in Missa commendari possunt, sunt hæc, & quidem in ipsa Missa in particulari, sed immediatè ante illam (ne Missæ longitudo adstantes offendat) in memoriam reuocandæ, & Domino feruenter commendandæ; & post Missam vel Cõmunionem.

Primò. Conuersio in bonum Ecclesiæ Infidelium, Turcarum, Iudæorum, Hæreticorum, Schismaticorum, malorum Christianorum, infidelium ac Religiosorum tepidorum.

Secundò. Ut ex conuersis & bonis, quàm plurimi saluentur.

Tertiò. Ut iusti quàm plurimi, ad quàm maximam sanctitatem pertingant.

Quartò. Ut Clerus & Religiosi sanctâ vitâ & sanctâ doctrinâ, quàm plurimos ad Dei timorem & amorem trahant.

Quintò. Ne potentia & actus inimicorum Ecclesiæ, quidquam Dei Regno & propagationi eius gloriæ officiant.

Sextò. Ut Principes Christiani Ecclesiam Dei foueant, in pace inter ipsos viaant, subdito suos

iuste regant, & felicem successum habeant in negotiis, pro bono Ecclesiæ & Reipublicæ iuste susceptis.

Septimò. Pro tua Congregatione hæc peti possunt; ut diuina Maiestas det mortificationem passionum personis tuæ Congregationis ædificationem erga proximos, deuotionem in rebus ad Dei cultum spectantibus, fructum ingentem animarum ex sincero zelo profectum, continuum in virtute & literis profectum, sufficientiam bonorum temporalium, & abundantiam insignium operariorum pro vinea Domini amplificanda, & ut ab omnibus officialibus tuæ Congregationis Domino dignè & fideliter semper & ubique seruiatur. Huc referenda est peculiari aliqua necessitas provincie vel domus, si à Superioribus pro tempore, uti non ratò cõtingit, commendetur.

Octauò. Pro omnibus inimicis, & iis à quibus aliquid passi sumus, vel patimur, vel patiemur, amplissima Dei benedictio petenda est, coniuncta cum condonatione plenissima iniuriarum, & molestiarum ab illis perceptarum, & cum elicto aliquo actu feruenti beneuolentiæ erga illos, purè propter Deum amatos, cum desiderio iis seruiendi, in omni re licita possibili, sine vlla specie vindictæ, & rancoris. Hic actus si fiat feruenter, multa Dei dona inducit in animam, & Christi cor; tali homini valde obligabit.

Nonò. Pro iis, qui se nobis coram & per literas nominatim commendarunt tria petenda

Primò. Ut quàm maximè declinent à malo.

Secundò. Ut quàm perfectissimè operentur bona quàm plurima, & quàm maxima.

Tertiò. Ut non tantum patienter & libenter, sed etiam cum exultatione tolerant pro Deo mala quàm plurima & quàm maxima, sine impedimento diuinæ gloriæ.

Decimò. Commendandæ sunt particulares necessitates, & ea quæ à Deo, quisque pro se ipso petit, ut est remissio peccatorum quoad culpam & pœnam, liberatio ab aliqua periculosa tentatione, passionum mortificatio, vitæ sanctitas, & similia.

Vndecimò. Commendanda illa necessitas, quæ solet ab Episcopis, vel eorum vicariis pro tempore commendari fidelium extraordinariis precibus.

Duodecimò. Ora pro illa re, quæ in distributione menstrua, sancti tui, tuæ schedæ subscripta est.

Decimotertiò. Tandem animæ in Purgatorio Domino commendandæ sunt, illæ præsertim, quibus te Deus cognoscit esse magis obligatum, ob percepta per eos beneficia, & pro iis quoque, quæ vel nullos, vel raros habent deprecatores.

Tertiò considera, te soli Deo oblaturum immediate hoc sacrificium, ut ait Concilium Tridentinum, c. 3.



tinum, Quod ne quidem omnibus Sanctis offerri potest, sed soli Deo debetur. Ideo cum infinita maiestate agendum esset infinito seruire, si tantus à creatura pura promanare posset.

36. *Quartò*, considera, te totam Dei Humanitatem quanta quanta est, rem adeò excellentem, quã post Deum nihil est sanctius, nil purius, nil excellentius, Deo oblatum; ideo cum re offerenda, adeò præstante, coniunge seruirem Seraphicum, & Seraphico, si potes, maiorem.

37. *Quintò* considera huius sacrificij excellentiam, quod non tantum ratione rei oblatae, sed etiam in se, est præstantius omnibus aliis oblationibus, quæ à puris creaturis proficisci possunt, vt alibi explicatum est, superans quodammodo etiam beatorum actus in celo erga Deum, in quibus non est substantialis transmutatio rei oblatae.

38. *Sextò*, Considera hoc sacrificio representari Christi Passionem, & in eius memoriam esse institutum, vt docet Apostolus. Hinc dicimus in

1. COR. II.  
26.

*Missa: Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quã tibi offerimus in memoriam Passionis: & post consecrationem immediatè: Vnde & memores Domine &c. tam beate Passionis.* Cum ergo Christi Passio fuerit infiniti valoris, & per eam omnes thesauri diuinæ gratiæ hominibus applicentur, in vfu bono sacramentorum, & frequentatione bonorum operum; & ex ipsa profuxerint omnia bona tua & ipsa salus æterna tua, & tot millium hominum inde promanatura sit, vide cum quanto seruire, & quàm sapido mentis affectu, tam salutaris boni representatio, à te sit ad sacrum altare facienda, vt ex eo tanquam ex mari quodam diuino, innumeri riuuli gratiarum cœlestium deriuentur, ad omnes & singulos homines viuos & in Purgatorio existètes. Certum est enim, pro quantitate deuotionis tuæ, & feruoris, effectus Passionis Christi, & sacrificij Misse in viuos & mortuos deriuatum iri. Sanè verum est, quod scripsit vir sanctus Albertus

39.  
4. par. In-  
troduct.  
ad medit.  
passion.

Magnus, & refertur tanquam fide dignum, à nostro etiam viro sancto, Patre Ludouico de Ponte: *Simplex recordatio Passionis, vel meditatio eiusdem plus valet, quàm si quis integrum annum ieiunaret in pane & aqua, ac flagellis se quotidie vsque ad sanguinem cederet & quotidie totum legeret Psalterium.* Quanto magis representatio ipsius Passionis per sacrificium verum & reale, melius quàm sola nostra meditatione expressa, erit excellentior, ac proinde digna summo deuotionis sibi proportionato seruire: His & similibus cogitationibus excitato seruire, ad sacrificium properandum est, ante quod immediatè statuendus est certus finis seu necessitas peculiaris, ob quam illud vis Domino offerre, verbi gratia, pro aliquo defuncto, pro benefactoribus &c. Deinde dum pro re aliqua offers sacrificium, quæ eo non potest indigere illo tempore, v.g. pro certo aliquo defuncto, pro aliquo infirmo longè po-

sito, qui fortè bene iam conualuit, bonum est addere conditionaliter aliquam aliam intentionem, quam certus sis habituram suum effectum v.g. pro impetrando virtutum incremento &c. alias fructus peculiaris talis sacrificij v.g. pro defuncto vel ægrotò (qui non indiget) oblati, remaneret in Thesauro Ecclesiæ, vel applicetur à Deo pro aliâ re.

Sua deo præterea, propter contingentes huius miseræ vitæ casus, tam varios, dum sacris vestibus indutus procedis ad sacrificium Misse, eo animo illud sacrificium Deo offer, vt si forte Deus prouiderit, te post illud, non habiturum amplius copiam, sumendi vltimi viatici, vt illa Communio quam percipies in Missa, sit tibi vice vltimi viatici, & ita nunquam sine viatico mortis etiam si subitanèa morte moreris. Denique substantialis, vt ita dicam, dispositio in Missa dicenda quatuor requirit necessariò, quæ magis quàm cæteri actus deuotionis libera, adhibenda sunt.

*Primò*, ne toto sacrificij tempore Deum offendas vilo veniali peccato. Si enim illud omni tempore cauendum est, multò magis tunc, cum ita notabili modo agimus cum Deo, vice Christi, nomine totius Ecclesiæ, res tam eximias tractantes.

*Secundò*, ne vilo etiam inculpabili defectu, & imperfectione tam venerandi sacrificij excellentiam contamines: quod fiet, si exactissimè omnia, quæ in Missali præscripta sunt, quoad gestus, & situm corporis, & alia obserues, & quidem eo modo, quo à viris feridè perfectioni vacantibus obseruari solent. Rem exemplis illustrabo.

Dum alternatim cum ministro profers versus aliquos, ne illos inchoes, antequam minister totum suum perfecit. Kyrie Eleyson, non inchoes, procedendo à cornu Epistolæ, ad mediũ altaris, sed postquam ad illud perueneris, & fixè in eo constiteris. Ne dicas ad populum, *Dominus vobiscum*, ante vel post dictas & coniunctas manuum palmas, sed proferendo: *Dominus vobiscum* simul & semel extende & coniunge manus. Dũ librum initio Euangelij, & te ipsum signas, verba non preueniant nec sequantur sed comitentur æquo passu signationem, ita, vt prima cruce librum signes dicendo: *Sequentia*, vel *Initium*, secundam crucem imprime fronti, dicendo: *Sancti*, tertiam ori, dicendo: *Secundum N.* Vno verbo, exactissimè in omnibus particulis Missæ minims, serua scrupulosissimè & ad litteram, omnes minimas rubricas Missalis, circa ritus Misse traditas.

*Tertidò*, da operam, vt omnes accidentes naturæ actiones tempore sacrificij, speciali & actuali oblatione Deo offeras ad laudem & gloriam eius, per habitum religionis, ordinatas ad Deum propter Deum ex habitu charitatis diuinæ; vt non tantum ipsa actio sacrificij, & eius partes



integrantes, aliaque res ad eius complemen-  
tum, spectantes, sed omnia quoque alia natura  
opera, quæ solent contingere, sic à te offerantur  
Deo. Ita fiet, ut quoties species, excreabis, eru-  
ctabis, sternutabis, nasi vel oculorum humidita-  
tem abiterges, oscitabis, tempore sacrificij, sin-  
gula hæc Domino tuo offeras actuali & specia-  
li oblatione, pure propter ipsum ex amore per-  
fectissimæ benevolentia. Quod non tantum  
possibile, sed facillimum esse solet, iis qui modo  
infra dicendo, assuescunt ad talia

43. *Quartò*, omni studio conare, ut attentè, ac  
valde feruenter proferas & legas ea, quæ pro-  
fers & legis in Missa, eo sensu singula verba ac-  
cipiendo, quem præ se ferunt, & similes affe-  
ctus tuos iis adiungendo, tum breues, quos pa-  
riet ipsa literalis & primæua verborum signifi-  
catio, tum longiusculos (cursum tamen lectio-  
nis & pronuntiationis non interruptentes),  
quos celeri mentis cursu edes, ut pote antea præ-  
cogitos & præmeditados, & memoria (per eo-  
rum lectionem & praxim) impressos, modo  
paucò possit explicando.

44. Non est autem cur deterreare multitudi-  
nalem affectuum: tum quia verba ipsa attentè  
prolata & lecta, velis nolis, eos tibi suggerent, si  
verborum, uti par est, significationi intelligendæ  
attendas, tum quia alij affectus (ut ita dicam) li-  
berè inuenti, & ex verbis deducti, infra expli-  
candi, etsi multi sint, sensim tamen, vel lectione  
aliquoties huius Opusculi iteratâ, vel praxi &  
viti ipso, memoriæ insiguntur, adeo ut sine con-  
fusione & fatigatione capitis Missam sis dictu-  
rus. Proderit autem ad confusionem vitandam  
& fatigationem, non statim omnes affectus in-  
fra positos adhibere, sed, verbi gratiâ, primo die  
ad hebdomada, illos solos, qui sunt in ipso pri-  
mo ingressu ad altare. Secunda hebdomada, ad  
de alios ad finem Evangelij, & sic deinceps,  
alios adhibe sensim. Nam & profanæ disciplinæ  
non vno die addiscuntur, quando magis affe-  
ctus supernaturales vno die non possunt ab om-  
nibus inprimi memoriæ: Quod ergo in simili  
proposito dixit S. Chrysostomus idem tibi di-  
ctum puta: *Cohibe te paulisper & comprime, nec ve-  
lu repenti omnia simulq; discere, sed sensim atque  
paulatim.*

## CAPVT SEXTVM.

De pijs affectibus, qui in ipso Sacrificio Mis-  
sæ adhiberi possunt, cum magno me-  
rito ante INTROITVM.

44. **D**Vobis modis pijs affectus à vitis spirituali-  
bus in sacrificio Missæ excitantur:  
*Primò*. In ipsis & cum ipsis Missæ verbis, fetè  
iuxta tertium orandi modum à Sancto Patre  
Ignatio in Exercitijs traditum.

*Secundò*, citra pronuntiationem verborum,  
dum iis quæ proferenda erant prolatis, sacerdo-  
ti tacendum est, ex præscripto Missalis: ut dum  
Minister dicit *Confiteor*, vel dum orat pro viuis  
& defunctis tacitè, post dictum: *Memento Domi-  
ne*, vel, dum ante se habet sanctissimum sacra-  
mentum, post dictas tres illas orationes, post  
*Agnus Dei*, vel post dictum ter, *Domine non sum  
dignus*. Vel, dum flecit genua coram sanctissimo  
sacramento (quod à consecratione ad finem  
Missæ ordinariè quilibet sacerdos facit decies)  
vel dum sanctissimam Eucharistiam eleuat, à  
populo adorandam. Hic, utriusque affectus ali-  
quot adferendi erunt. Dicam primò de affecti-  
bus circa verba Missæ deinde de alijs. Porro an-  
tequam aliquis assuescat his affectibus elicien-  
dis, ob defectum memoriæ, donec eos illi im-  
primat, sat erit mente solâ Domino offerre vo-  
luntatem dicendi Missam, cum omnibus illis  
affectibus, qui hic scripti sunt. Sicut enim multa  
peccata in confuso expetita sunt multa demeri-  
ta, ita multi actus virtutum in confuso deside-  
rati, sunt multa merita, si tamen cum generali-  
tate actus, specialis, (sed breuis) reminiscencia  
particularium virtutum fiat.

48. *Quoad verba Missæ*, Hoc primum in genere  
suadeo, ne dum ea proferantur, aliquid aliud  
mente agitur, diuersum à literali & propria  
significatione, quàm ipsa verba exigunt & con-  
tinent, tum ne mente alijs cogitationes, à ver-  
bis prolatis diuersas agitante, in pronuntiatione  
verborum Missæ erretur (quod grauius esset  
peccatum, quàm error in verbis priuararum eu-  
iusque precum commissus) tum ut præclaro  
monito S. Bernardi satisfiat dicentis: *Ut nihil f. 47. in  
aliud dum psallitur, præter id quod psallitur, cogitetur.* Cant.  
Et addit: *Salubria sunt, sed minime illa salubriter in-  
ter psallendum reuoluit. Spiritus enim sanctus, illa  
hora gratum non recipit, quicquid aliud quàm debet,  
neglecto eo quod debet obtuleris.* Idem sentit B. Lau-  
rentius Iustinianus libro de disc. & perfect. mo-  
nast. conu. cap. 17. S. Bonauentura c. 12. spec. &  
p. 2. c. 1. S. Augustinus in Reg. 3. Hugo de S. Vi-  
ctore in Annot. ad Psal. c. 17. Gerson 3. p. tract. de  
or. alph. 78. litera G. & H. Gabriel lect. 62. in  
Can. Missæ lit. M. Medina tr. de or. q. 14. fin. Ab-  
bas Germanus apud Cassianum, Coll. 10. c. 12.  
aliàs 13. S. Chrysostomus in Psal. 41. S. Benedi-  
ctus in c. 19. Reg. Sancta Teresa in Itinere per-  
fectionis c. 21. fin. & cap. 22. & c. 24. pag. 85. Post  
initium, tum ut menti Sanctæ Ecclesie nos con-  
formemus, quæ cum tanto delectu selegit  
omnes Missæ sententias, versus, lectiones & præ-  
ces, credendum non est, ex eius & Spiritus san-  
cti mente fore, si more Picarum, & Psittacorū,  
nuda verba, à Spiritu sancto dictata, ad ingene-  
randum nobis eorum sensum & intelligentiam  
pronunciemus, sensu eorum non ponderato,  
nec intellecto, sed longè aliò accersito.

*Secundò*, Suadeo sacerdotibus, ut iuxta secun-  
dum



dum orandi modum à sancto Patre nostro Ignatio traditum, omnia illa Psalmorum & orationum verba quæ iuxta Missalis præscriptum, quotidie à sacrificantibus recitantur, & continentur in ordinario ac Canone Missæ, multò ante præmeditata & benè ponderata habeant, ita enim fiet, vt piis affectibus, circa illa verba olim in meditatione, excitatis, & in prolatione verborum sub tempus Missæ breuiter, & veluti raptim reuocatis, mens impinguata, magnum percipiat deuotionis sensum & feruoris.

50. *Tertio. Quoad sonum vocis, & pronunciationem omnium verborum Missæ, tum eorum quæ clara & ab aliis perceptibili voce, tum aliorum, quæ secretò & submissa voce pronunciantur sunt, duo seruanda sunt, à sancto Patre nostro Ignatio semper seruata, & ab aliis viris sanctis, quos noui, tum sancti Ignatii discipulis, tum aliis.*

1, 3, 6, 12. *In primis ita sonorà voce pronunciantur sunt verba, (quæ iuxta Rubricas Missalis, secretò dici non debent) vt ab omnibus circumstantibus benè audiantur, & intelligantur. Et hoc est, quod de sancto Patre nostro Ignatio scribit Maffei, eum, cum rem diuinam faciebat, quæ recitanda forent, etiam in priuato sacello, nemine præter ministrantem adstante, contra morem Hispaniensem, elatà solitum voce pronunciant. Et quidem adeò elatà, vt quem admodum accepi à Patre Oliuero Manaræo teste oculato, vox sancti Patris Missam legentis, tam erat elata & sonora, vt per totum ambulacrum vicinum, exaudiretur, quamuis intercederent aliquot cubicula, intra sacellam & illud ambulacrum, per quod vox eius diffundebatur.*

*Alterum quod suadeo seruandum, est, vt more sancti Patris Nostri Ignatii (quod didici ab oculato teste altero, Patre Benedicto Pererio) sine vllà festinatione, omnia proferantur verba Missæ, paulo celerius, quàm debeant proferri verba orationis, iuxta tertium orandi modum à sancto Patre nostro Ignatio in Exercitijs præscriptum. Sic sanctus Pater Noster Ignatius Missæ verba proferebat, sic alios Patres, ei coætaneos & familiares olim vidi oculis meis, & audiui, Missam dicentes, tum dum Nouitius eis Romæ sæpè ministrarem, Anno 1593. & 1594. Sub tempus quintæ Congregationis generalis, tum postea. Inter has celebriores fuerunt hi mihi probè noti, Pater Oliuarius Manaræus, Pater Franciscus Costerus, P. Benedictus Palmius, P. Benedictus Pererius, P. Ioannes Ignatius (olim cubicularius sancti Patris) P. Prosper Malanolta, P. Marius Beringucius, P. Laurentius Magius, P. Ioannes Baptista Viola vnus ex primis sexaginta professis nostræ Societatis. Præter hos, sic, eis posteriores, sacrum dicentes vidi, & quidem viros sanctitatis certa opinione ac prudentiæ laude clarissimos, P. Robertum Bellarminum, primum meum extra nouitiatum, in Societate*

Rectorem, P. Petrum Antonium Spinellum, P. Iulium Mancinellum, P. Ioannem Baptistam Cicortum, P. Horatium Turfellinum, P. Ioannem Antonium Valtrinum, P. Ioannem Azor, P. Bernardinum Medices, P. Vincentium Brunum, P. Ioannem Baptistam ab Alexandro, P. Bartholomæum Riccium, P. Fabium de Fabiis, P. Ioannem Paulum Risium, P. Ioannem Baptistam Carminatam, P. Carolum Regium, P. Bernardinum Rosignolium, P. Franciscum Arias. Sic quoque solitum dicere sacrum, P. Bernardinum Realinum scio ab eius familiaribus. Et quod satis esse deberet ad id persuadendum, ita lentè & tardà pronunciatione dicebat semper Missam, P. Claudius Aquauia Generalis noster, & alter Generalis P. Mutius Vitelliscus sic eam legit, & sic mensæ benedicit. Si hos imitabimur, non poterimus iure carpi ab vllò de Societate. Alij curandi non sunt. Excitat enim vocis contentio, verbis lentè prolatis adiuncta, sensum pietatis & feruoris. Ideò B. Philippus, Laicus 3. Ordinis S. Francisci, Romæ meo tempore cum magna sanctitatis & miraculorum fama mortuus, & in templo SS. Philippi & Iacobi, Apostolorum apud Franciscanos. Conuentuales honorificè sepultus, & exposita publicè eius imagine, ac appensis votiujs tabellis, statim ab sepulturâ honorari ceptus, meritò, inquam, hic Dei seruus, Perusij interrogatus à P. Philippo Pantaleone de nostra Societate (à quo id postea Romæ audiui) cur manè euigilans, clamosa vsque aded voce, pia verba proferret, vt in vicinis ædibus probè audiretur, Respondit, se id facere ad excitandum contentione vocis, deuotionis feruorem, quem, ni id faceret, languere in se experiebat. Ideo, inquit S. Bonaventura, Verba apponimus, vt cum mens pigra est, ad se eleuandum ad Deum, per verba orationis sustentata eleuetur vt memoria Deo inhercat, intellectus sensum attendat, affectus per deuotionem inflammatus guffet, quàm suavis est Dominus, ex intentione sacre orationis afflatus. Etiam Hugo Victorinus lib. de modo or. Ad hoc formatur in voce oratio, vt mentem oranti ad maiorem deuotionem accendat. Idem fuit & S. Augustini sensus. Ideò certis horis ad negotium orandi mentem reuocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes, in id quod desideramus intendere, ne quod tepescere ceperat, omnino frigeat & penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur. Et hæc fortassis est causa, introductæ ab Ecclesiâ sonoris & clamoris vocibus Psalmodia, tanquam vigorem quædam menti adferentis, per incrementum vocis ac contentionem peccatoris, & gutturis verba formantis. Sicut enim Concionatores dum in populo vehementiores affectus excitare volût, vocem intendunt, idem ferè euenit, dum nos ipsos ad pietatis sensum excitare conamur, pronuntiatione sonorâ & clamorâ verborum. Vti proferri solent literæ Imperatoris vel Regis, dum coram eius subditis in publico aliquo cõ-



festu leguntur: secus legere, esset magna irreuerentia, & iusta offensio Maiestatis, à quâ missæ sunt literæ. Sic verba Missæ legantur pridie perceptæ.

Nunc percurrendæ sunt præcipuæ Missæ partes, & ordinariis eius verbis, varij pij sensus & affectus adscribendi ad quorum similitudinem alios, si hi non placebunt, quibus elicere potest. Porro in his affectibus excitandis, illud præ oculis habendum est, ut sint quàm maximè heroici, & ad virtutes primarias referantur: tum quia tales magis sunt meritorij, Deumque magis glorificent, tum ut sint conformes tam excellenti actioni sacrificij, eiusque termino & obiecto, quibus nihil excellentius fingi potest. Deinde loquendo in genere, omnia verba quæ leguntur vel proferuntur, & affectus iis adiuncti, procedant magno animi & cordis fervore, & quodam igneo ardore spiritus. Excelluit hac in re noster sanctus Pater Ignatius, qui, ut audiui ab oculato teste P. Benedicto Pererio, ad eodè dicendo Missam inflammabatur, ut facies eius tota roberet, ut ille dicebat, instar Cancri costæ, & tanto fervore æstuabat, ut quandoque ab altari alienis manibus deportari in cubiculum debuerit, pedibus propriis præ languore & defectu virium, non valens subsistere. Ideoque nisi validus esset viribus, sacrificium offerre non poterat, sæpe verò illud aggressus, licet se robustum sentiret, in morbum incidebat ob vehementiam ferventium spiritus affectuum, semel autem in lethalem morbum incidit ob duo sacrificia die Natalis Domini continenter celebrata, ut de eo scriptum reliquerunt eius domestici, P. Ludovicus Confalvus, & S. Petrus Ribadeneyra.

Dum te signas signo sanctæ Crucis, ipso sacrificij initio, dicendo, *In Nomine Patris &c.* duos affectus raptim elicere poteris.

*Primo.* Fidei contra Hæreticos Trinitatem negantes.

*Secundo.* Recordationis Christi Crucis, quam digitis in tuo corpore exprimis, ac proinde Christi Passionis in Cruce completæ, ex cuius plenitudine omnia in Sanctam Ecclesiam bona fluxerunt. Eisdem affectus renoua, dum aliis vicibus signabis te signo Crucis.

Dum profers, *Introibo ad Altare Dei*, Excita in te magnam reverentiæ affectum erga illud altare, & actionem sacrificij, quod tunc peragere incipis: est enim illud altare multò sanctius, quàm Rubus Moysis, quàm Mons Sinai, quàm Tabernaculum fœderis, quàm Arca Testamenti, quàm sancta sanctorum, quæ tamen Deus tam mirâ reverentiâ coli voluit. Rectè autem vocatur *Altare Dei*, ob quatuor causas:

*Primo.* Quia soli Deo dicatum est, uti & sacrificia soli illi & templa dicantur per cultum lætitiæ, non vlli sanctorum etsi in memoriam & honorem sancti Deo dicentur, sed non sancto, uti nos fides & Theologia docet.

*Secundo.* Est *Altare Dei*, quia Deus in illo colitur sacrificio Missæ, soli Deo debito.

*Tertio.* Quia peculiari modo ibi esse solet Deus sub speciebus sacramentalibus, quali non est alibi extra altaria, & sanctissimæ Eucharistiæ receptacula.

*Quarto.* Quia in illo Christus verus Deus, etsi non ratione diuinitatis, tamen ratione humanitatis diuinæ personæ unitæ, principaliter sacrificat inuisibili modo, cum Sacerdote suo Ministro, eius nomine visibiliter sacrificante, ideoque in persona Christi dicente: *Hoc est corpus meum. Et, Hic est sanguis meus &c.*

*Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Hic pete diuinum lumen, ut, si es in statu peccati mortalis tibi ignoto det tibi gratiam hoc agnoscendi & illud deferendi, sicuti per gratiæ suæ lumen deductus es in montem sanctum Dei, & in tabernacula eius, Hoc est ad sanctam Ecclesiam Catholicam, instar montis visibilem, & omnibus sectis altiorem; & ad statum sacerdotalem vel regularem, qui more tabernaculorum, tam diu erit in vsu, quamdiu durabit peregrinatio huius vitæ.

Dum dicis *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, & nunc & postea aliquoties, caputque inclinas, offer mente Deo illud caput sic inclinatum ad martyrium pro fide vel pietate, Dei causa magno & generoso animo offerendum. Cum tali affectu hæc verba in choro proferri à suis monialibus volebat B. Maria Magdalena de Pazzis Filia spiritualis Societatis nostræ, uti scribitur in eius vita.

Dum dicis, *Adiutoriū nostrum in Nomine Domini*, Excita intensum spei Theologicæ affectum, quo speres à Deo quadruplex adiutorium.

*Primo.* Pro consequendâ æternâ salute.

*Secundo.* Pro supernaturalibus mediis ad salutem necessariis & vtilibus quàm plurimis, à Deo per Christi merita indubitatè obtinendis.

*Tertio.* Pro sufficientiâ bonorum temporalium ad consecutionem nostræ salutis necessariorum & conducentium.

*Quarto.* Pro illa peculiari necessitate, pro qua tunc oras, vel sacrificium illud offers, tibi adiutorium adiutorium.

Dum recitas *Confiteor*, Excita in te magnam Contritionis, (ut est distincta ab attritione) affectum: id est, dolorem de peccatis tuis & adhuc totius mundi, super omnia mala alia, idque purè propter Deum, super omnia bona dilectum. Et da operam, ut cum magno sensu, proferas illa verba, *Mea culpa*, pectusque tundas: quia, ut ait Concilium Tridentinum, *per hoc sacrificium fit, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia contriti ac poenitentes ad Deum decedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum poenitentia concedens, criminosa*



mina & peccata etiam ingentia dimittit. Dum Minister dicit *Confiteor*, Renoua intentionem, ob quam dicis illud sacrum, & adde paucis verbis mentalibus, sed magno ardore mentis, communes omnibus sacrificiis intentiones offerendo illud sacrum Deo.

*Primò*, in eius vt supremi Domini recognitionem & cultum.

*Secundò*, in gratiarum actionem pro omnibus eius beneficiis.

*Tertiò*, in satisfactionem pro peccatis tuis & totius mundi, & eorum expiationem.

*Quartò*, impetrationem omnium eorum que iuste petimus à Deo, & concessionem eorum, quibus indigere nos cognoscimus, & quæ melius Deus ipse nobis necessaria cognoscit, et si nos ignoremus.

### CAPVT SEPTIMVM.

#### De piis affectibus ab INTROITV Missæ ad initium CANONIS.

54. **D**VM ascendis Altare, & dicis, *Aufer à nobis, quasumus Domine cunctas iniquitates nostras*, Excita iterum affectum detestationis erga omnia prorsus peccata, quæ Deus videt, præsertim venialia, nullo excepto: nam per talem actum omnia quoad culpam (si es in gratiâ Dei) delentur statim iuxta doctrinam Theologorum bonorum. Quòd si cum magno feruore ea verba proferes, poteris etiam pœnam temporalem abolere, siquidem, vt ait S. Thomas, *Eucharistia vt sacrificium & vt sacramentum, eisi sufficit ad satisfaciendum pro omni pœnâ, tamen est satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ deuotionis, & feruoris, & non pro totâ pœnâ.*

3. p. q. 79.  
2. s.

Quoties ex præscripto Missalis, osculaberis Altare, ex reuerenti purissimi Amoris affectu erga Deum ac res eius, vtraque manum pone supra corporale, & illud, non mappam altaris (quæ non est æquè sacra) osculare, tanquam purissimam syndonem Domini tui, idque non extra lapidem portatilem Sanctorum reliquias continentem, sed eo in loco, in quo Reliquiæ sunt repositæ: hæc enim omnia sanctiora sunt quàm altera pars altaris, vel mappæ longioris totam mensam altaris tegentis.

55. Pòrrò in osculis figendis, fige illa ex tenero amoris affectu erga Dominum Iesum, ibi prorsus vbi repones hostiam consecratam, eâ vetò consecratâ locum quàm maximè illi propinquum, nam cor amore feruidum, si non potest esse intra tem à se amatam, cupit esse rei amatæ quàm maximè propinquum, & arcè vnium.

56. Dum oscularis autem hoc modo corporale vel altare, præter amoris affectum, simul & se-

mel, excita actum Fidei, & Religionis, honorando osculis illas res & loca tanquam consecrata Ecclesiasticâ benedictione, iniquè ab hæreticis irrita. Pòrrò da operam, vt hæc tanto spiritu facias, quanto faceres, si vel Christi cunas, vel propriam eius sindonem aut vestem osculareris.

Dum imponis Thus comburendum, vel iubes aut vides accendi candelas, præter actum Religionis, qui per ea Deo elicitur, à te Deo offerri possunt, optando vt pro amore eius ita annihileris, & priues te omnibus, & quodammodo ciuilitate intereas, nihil tibi præter diuinam gratiam retinendo, quemadmodum cera & Thus per ignem annihilatur & perit.

Dicendo *Kyrie eleyson*, Prima duo *Kyrie*, refer ad Deum Patrem, per quæ petas, vt tui miseretur, duplicemque à nobis auferat miseriam;

*Primò*, miseriam Peccati.

*Secundò*, miserias temporales, nos impediētes in diuino obsequio.

Dicendo *Christe eleyson*, pete ab eo, vt suâ misericordiâ abigat à nobis miserias pœnarum temporalium, hic vel in Purgatorio luendarum, quæ nondum sunt abolitæ, et si culpæ peccatorum per Confessionem vel aliis modis sunt deletæ.

Duo verò vltima *Kyrie eleyson*, dirige ad Spiritum sanctum, petendo ab eo, vt suâ misericordiâ, amoueat communes in Ecclesiâ tuâ & toto mundo miserias spirituales, scilicet multitudinem peccatorum, & multitudinem iustorum tepidorum, vtrosque conuertendo: illos, ad vitam bonam, fide rectâ, & probis moribus ornata, hos ad vitæ sanctæ feruorem.

Dum verò dicit Minister primū *Kyrie eleyson* si vis, per illud à Deo Patre pete auferri miserias corporibus noxias, scilicet pestem & morbos & vulnera, & vlcera.

Dum dicit idem bis *Christe eleyson*, pete vt Christus auferat miserias famis, seu sterilitatis, & bellorum & seditionum, & tumultuum ciuiliū.

Dum vltimò dicit medium *Kyrie eleyson*, pete à Spiritu sancto, vt animas defunctorum liberet à miseris Purgatorij quàm citissimè.

Dicendo *Gloria in excelsis Deo* &c. Sic illud piis affectibus raptim additis, solâ mente, impinguabis, hæc verba sic applicando mente solâ:

*Laudamus te*, ob beneficium Creationis nostræ, & tot creaturarum, ad vsum & oblectationem nostram nobis datarum.

*Benedicimus te*, ob beneficium Iustificationis.

*Adoramus te*, ob tuam infinitam excellentiam.

*Glorificamus te*, ob tot peccata tot in locis perpetrata & patienter à te tolerata, optando feruenti Dei glorificatione per spiritum factâ in locis & personis illis peccato contaminatis, quodammodo satisfacere Deo pro peccatis in eis commissis.



Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, pro beneficio Redemptionis tam copioso, & tam multa salutis præsidia continente, vti sunt sacramenta, Indulgentiæ, Dei auxilia &c.

Qui tollis peccata mundi; Liberando nos à miseris peccati, & quæ ex illo fluunt, vt sunt pœnæ temporales, seu obligatio eas subeundi, habitus mali, qui per actus malos generantur, passionum motus inordinati & vehementes, repeditas in bene operando, hebetudo mentis in cognoscendis iis, quæ vitanda, quæ facienda sunt, durities voluntatis ad fugam mali, & amorem omnis perfectionis; inconstantia & inperseuerantia in bene cæptis prosequendis, reditus ad vomitum peccati &c.

Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram, exaudiendo in iis, quæ ordinariè Deo commendas: præcipuè verò, in eo, pro quo illud sacrificium Domino offers, &c.

Qui sedes ad Dexteram Patris, miserere nobis; Auferendo duplicem miseriam, quæ impedit nos per altitudinem crescentium semper meritorum, appropinquemus dextræ Patris in cælo. He autem miseriam sunt, finis ignobilis multorum operum, & modus malè ea peragendi, quorum vitiumque impedit merita, quæ in dies dum multiplicamus, sensum assurgimus ad altitudinem Filiorum Dei, in patria, & Dei throno magis ac magis appropinquamus, seu dextræ Patris.

62. Dicendo, Dominus vobiscum; opta toti mundo, præsertim Ecclesiæ sanctæ Dei, omnem Domini tui benedictionem; per quam singulis animabus conferatur id, quo maximè indigent, & propter electos, etiam ipsis creaturis ratione carentibus iuxta illud Psalmi: *Aperis tuam manum tuam, & imple omne animal benedictione*: scilicet vnicuique animali proportionatâ, & conuenienti benedictione. Dic autem hæc verba cum magno affectu & seruire, id omnibus & singulis optando, expresso motu amoris benevolentiam, quia omnes illæ res, sunt Dei creaturæ & opera, quæ ob respectum Dei dignæ sunt, vt eis optemus omnia bona illis conuenientia. Idem optabis, quotiescunque deinceps Dominus vobiscum, vel Pax Domini, vel cum in fine Missæ dando benedictionem dices, *Benedicat vos omnipotens Deus*.

63. Quoad orationes quæ dicuntur immediatè ante lectionem Epistolæ meum consilium est, in Missis de Fetiâ, & de Festo simplici, & de Beatâ Virgine in sabbato, dicere septem orationes, quia id permittunt Rubricæ Missalis. Dicit autem possunt hoc modo. Loco tertiæ orationis, quando certa non præscribitur in Missali, sed datur ad libitum dic illam, *Deus cui omne corpus & omnis voluntas loquitur*, vti solebat facere S. Philippus Neri, vel illam, *Deus refugium nostrum & virtus*. In his enim præcipue, quibus ege-

Lancicij Opusc. Tom. 2.

mus, petitiones nostræ continentur. Quarta, sit gratiarum actio pro beneficiis, posita post Missam votiuam de Sanctâ Trinitate. Quinta, sit de Spiritu sancto: *Deus qui corda fidelium*. Sexta, sit illa, pro omni gradu Ecclesiæ, quæ petitur, vt ab omnibus statibus Deo dignè & laudabiliter seruiatur. Septima, pro se ipso Sacerdote.

64. Existimo enim has preces intra tempus sacrificij dictas à sacrificante sacerdote, ceteris paribus, esse magis impetratorias, ob sacrificij præstantiam, quàm si dicantur extra Missam.

Loquendo vniuersè, dum vel te ipsum, vel librum, vel oblata, vel personas signo crucis signas, signa cum magna quadam cordis tenetudine erga Christi Passionem in cruce, & per crucem morte eius peractam, cum ingenti fiducia obtinendarum ingentium gratiarum, quas Ecclesiæ suæ sanctæ Christus in cruce promeruit,

65. Dum oscularis librum Euangelij, id facito ex amore Christi & Dei, amando eius omnia præcepta & consilia, & desiderando ea quàm perfectissimè exegui, & hoc desiderium valdè ardens, osculi dulci impressione Domino offerendo, peractum expressum benevolentiam, & quidem valdè seruentis & igneæ.

66. Pro recitatione Symboli, nihil noui occurrit dicendum, nisi vt ardenti spiritu proferas eius singula verba, actus seruantes Fidei, verbis correspondentes, eliciendo, & mente anathematizando, contrarias hæreses, & dum Dei & Christi beneficia (creationis, Passionis, ac nostræ Redemptionis) verbis symboli commemorantur, adiunge internos gratitudinis & amoris erga Deum & Christum teneros affectus.

Dum autem Christi Resurrectio, Ascensio, Sessio ad dextram Patris, Iudiciaria potestas, & regnum sine caritatum commemoratur, excita ingens internum gaudium, ob hanc multiplicem Christi tui gloriam, quam eius SS. Humanitas consecuta est.

67. In illis verbis, *Qui cum Patre & Filio, simul adoratur*. Adora eum non tantum vt in cælo existentem, sed vt existentem vbique per diuinam immensitatem, sed nominatim vt existentem in illis locis & personis, in quibus, & à quibus hæc tenus est grauiter offensa peccatis Diuina Maiestas, dolendo ob illa commissa, & cupiendo veluti compensare, hac adoratione ardentissimâ & profundissimâ, iniurias ei per illa peccata illatas. Qui affectus etsi longiusculè explicantur, tamen experire Dei beneficio, si sensim eos in praxim deducere cæperis, in vno momento, sine vlla temporis mora, te eos eliciturum, & morosum in lenta verborum pronuntiatione non futurum. Crede expertis. In verbo illo; *Et glorificatur*. Adiunge ardentem tuâ glorificationem SS. Trinitatis, eam intimo animi sensu glorificando, ob beneficia omnia & singula naturæ, gratiæ, & gloria,

S gloria,



gloriæ præterita, præsentia, & futura; omnibus creaturis suis concessa & concedenda. Dicendo, *Et vitam venturi sæculi. Amen;* Excita magnum spei affectum; indubitatè speras à misericordia Dei, & meritis Christi, vitam æternam, & quidem sine Purgatorio alterius vitæ, si adhibebis seriò, solitos in Ecclesia modos illud euadendi.

66. Dum Hostiam & vinum offers dicendo; *Suscipe Sancte Pater &c. Et. Offerimus tibi &c.* maiore quàm præterita verba feruore & sensu pietatis igneo, profer omnia & singula verba illarum oblationum, extendendo has oblationes ad omnes illos fines, propter quos à Christo est institutum hoc sacrificium, & ab Ecclesia adhibetur, qui fines cum sint maximi momenti (vti supra explicatum est) debent hæ oblationes panis & vini fieri cum summo deuotionis & feruoris ardentissimi affectu. In illis enim propriè inchoatur actio sacrificij incrementi, complenda in Consecratione panis & vini, & oblatione rerum consecratarum, ac perceptione Eucharistiæ & Communione, vt probat Suarez. Proinde si tu solus esses in toto mundo Sacerdos, & retro haberes in amplissimo campo Cõgregatos omnes profus homines, opem multiplicem à Deo per te, vt legatum publicum generis humani, expectentes, & innumeris suspiriis, gemitibus, lacrymis & clamoribus, Dei misericordiam pro tam multis necessitatibus postulantes, procul dubio conateris, has Deo oblationes offerre, cum immenso quodam ardentissima deuotionis & feruoris affectu; id etiam planè & nunc facito, quia nomine totius mundi es ad hoc ipsum electus, & scis quantopere singuli homines egeant multiplici adiutorio & gratia Dei; tam viui quàm defuncti, proinde ex viscera te quodammodò, coram Deo, has ei oblationes offerendo, quia ex feruore in his oblationibus, & in consecratione & eleuatione ac communionem feruenter peractis, & Deo oblatis, pro mundi vel personarum, aut negotiorum necessitatibus, maximè dependet efficacia & fructus huius sacrificij, & realis applicatio Christi meritorum, & auxiliorum diuinorum multipliciù ob Christi merita, à Deo conferri solitorum. Benè hoc notandum est.

67. In Præfatione qualibet, summo affectu dicenda verba illa, *Gratias agimus Domino Deo nostro.* Et illa, *Verè dignum & iustum &c. Nos tibi semper & vbique gratias agere.* Expande cor ad omnia tempora & loca, & omnes creaturas, quibus Deus varia beneficia tribuit, inter quæ peculiari sensu pietatis reponere Dei patientiam, quam ostendit tolerando impunè in tam multis mundi locis peccatores magnos, & eis post peccata commissa, conferendo varia dona naturæ & gratiæ, & quandoque etiam gloriæ, post eorum quam non merebantur conuersionem, & persecerantiam finalem diuinitus concessam.

68. Dicendo, *Sanctus ter,* ad tres diuinas personas

dic coniungendo hanc earum adorationem cõ adoratione quæ fit in cælo per Angelos similia verba proferentes; & idè excitata in te magnum feruorem, vt feruori Angelorum, quantum fieri potest, correspondeat, & adæquetur. Hoc enim piè æmulari debemus, quia vt ait S. Chrysostomus, *Antequam superna illa præfetur habitatio cæli quodammodò fieri iussit è terra. Nihil enim est quod propter terrenarum rerum habitaculum, ad supernarum virtutum perfectionem homines prohibeat peruenire. Est quippe possibile, vt in terrarum adhuc regione degentes, quasi iam in cælis habitent, ita cuncta perficiant.*

Proferendo verba, *Pleni sunt celi & terra;* fac conceptum altissimum de multiplici gloriâ Dei, quæ elucet in cælo & in terra, per tot excellentes creaturas, creatas cum miris effectibus, & per tot dona gratiæ & gloriæ, in beatorum spirituum tam multis myriadibus resplendentia.

## CAPVT OCTAVVM.

*De affectibus aliis ab initio CANONIS usque ad AGNVS DEI.*

70. Verba Canonis, attètè & lentè prolata, suppediabant pios affectus suâ significatione literali. In Memento viuorum, ora pro illis 12. pûctis breuiter & ardentè (ne longus sis) positus c. 5. s. Porro necessitates. Dum tamen illa verba proferes, paulò ante consecrationem, *Vt nobis Corpus & Sanguis fiat dilectissimi Filij tui Domini nostri Iesu Christi;* Renoua actualem & expressam intentionem consecrandi corpus & sanguinem Christi, per transubstantiationem panis & vini, Christi verbis conficiendam.

71. Tenens & eleuans hostiam consecratam, ita tene ne vnquam extra corporalis spatium effatur, vt si fortè fragmentum aliquod ex ea decidat, supra corporale, non supra tuos capillos vel mappam cadat, & deinde suo tempore ante communionem sanguinis Domini, patinâ excipiat, & in calicem demittatur.

72. Dum genuflectis, adorando SS. Eucharistiâ consecratam, demitte genu ad ipsam superficiem loci, quam pedibus tuis astans altari calcas, nec inde subito assurgas donec tanto spatio temporis genu flectens maneat, quanto dicebantur hæc verba prolata mente: *Iesu Fili Dei miserere mihi in quauis genuflexione.*

73. Dum eleuas hostiam consecratam, & postea calicem cum sanguine Domini, renoua illam intentionem, pro qua dicis illud Sacrum; prætereà adiunge feruenter, sed breuiter mente prolatis alios omnes sacrificij fines, dirigendo illud.

Primò, in adorationem & recognitionè Dei, vt suprèmi rerum omnium Domini.

Secundò, in gratiarum actionè pro beneficiis.

Tertiò,



Tertio, in placationem diuinæ Maiestatis ob peccata commissa.

Quarto, in impetrationem earum rerum quas ab eo petimus, & quibus nos indigere ipsemet cognoscit, etiam si illas non petamus. Vbi etiam peculiare aliquas res poteris commendare.

In illis verbis, *Hæc quotiescunque feceritis*, peculiari affectu recordare Passionis Christi, quam separata consecratio panis, à consecratione vini, seu iuncta, repræsentat, significans animæ Christi ab eius corpore separationem ac mortem, in cruce factam ut docet S. Thomas cum aliis Theologis.

Post hæc verba prolata, calice sacro deposito, si celebras in sacello priuato sine aliis, potes breuiter, sed feruenter, aliqua præcipua Domino, ubi nouo modo præsentem commendare. v.g. petendo ab illo vitam æternam sine Purgatorio, sanctitatem eximiam, fructum ingentem animarum, tribulationes & Cruces quàm plurimas & quàm maximas personales, huius vel illius rei felicem successum, aut negotij. Tunc etiam commendare potes Domino omnes qui tibi benefecerunt, per beneficia prospera, & aduersa tribulationum immisissarum.

S. Petrus Martyr, dum eleuaret sacrum calicem petebat à Domino gratiam Martyrij, & impetravit. Nobis quia occasiones Martyriorum desunt, petenda sunt incuruata Martyria tribulationum, quæ sæpè magis affligunt suam diuturnitate, & iniquitate, quàm Martyrium cruentum, quod quia speciosum quid est, solet expeti, non æquè persecutiones, maximè ear, quæ proficuntur à linguis & censuris bonorum virorum, præsertim Superiorum, vel simili aliquo dignitatis titulo insignitorum, quæ si benè tolerentur, sine defensionibus & exculationibus, non minores in cælo parient coronas, quàm parent quædam Martyria: sæpè etiam maiores, cæteris paribus. Ideo S. Chrysostomus ait, *Sanctum Iob, infinitis martyribus esse comparandum, & multiplex coronatum ac grauiore Martyrio per vxorem, & amicos eius vitam carpentes quàm fuerint multi Martyres cruenti.* Nam, ut idem ait, *alibi amaritudo omnibus rebus solent mordere maledicta. Et causam adfert: Quia alia mala tolerantem, multorum præconia consolantur; in maledictionibus vero etiam ipsa consolatio subducitur. Multi etiam ad laqueum conuolant, fame opprobria non ferentes. Et alio in loco idem: Credite mihi, peiora sunt quæ nunc patimur, his quæ Paulus perpassus est. Eum illi lapidibus ceciderant, sed nunc accidit, ut verbis, lapidibus durioribus feriamur.*

In illis verbis, ante *Memento mortuorum*, cū quinā expressione signi sanctæ Crucis prolatis, omni benedictione cælesti & gratiâ repleamur. Per eundem Dominum nostrum. Amen; Excita ingens desiderium ex meritis passionis & Crucis Christi consequendi omnia possibilia dona, Lancicij Opusc. Tom. 2.

ad Deum iis quàm maximè, omni possibili modo glorificandum, quod expete cum ingenti fiducia, credens Christo, qui dixit: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Matth. 5. 6.

In *Memento mortuorum*, ora primo pro tuis consanguineis, quia ex præscripto ordinatae charitatis, etiam Religiosi tenentur diligere magis consanguineos, quàm extraneos, ut docet S. Thomas. 2. 2. q. 37. a. 3. ut d.

Secundò, ora pro iis animabus, quæ fuerunt tibi causa alicuius crucis & molestiæ, & tibi rebusque tuis non additæ vel infensæ.

Tertio, pro animabus aliorum benefactorum tui ordinis & tuis fautoribus. Quarto, pro aliquo recenter mortuo. Quintò, pro iis pauperibus animabus, quæ nullum habent, quorum suffragiis iuuentur in particulari.

In illà oratione, *Nobis quoque peccatoribus*, Profer illa verba magno animi ardore. *Antra quorum* (Sanctorum) *nos consortium non estimator meriti, sed venia quasumus largitor admittite, per Christum Dominum nostrum.* Optando eximiam vitæ sanctitatem, ob quam in numerum Sanctorum coopereris, propter maiorem Dei gloriam, quæ in Deum ex sanctimonia vitæ deriuatur. 79.

Paulò post, tenens sanctam Hostiam supra calicem & verba illa pronuntians, *Omnis honor & gloria*; Pronuncia ea valdè feruenter, offerens SS. Eucharistiam, quam tunc sub vtraque specie in manibus habes, in laudem & gloriam Dei, pro omnibus beneficiis nostris, & pro impetratione omnium earum rerum quas ab eo petimus, & quibus ipse nos sine nostra petitione indigere cognoscit, ad consequendam salutem æternam, & vitæ præsentis necessitates, nostræ salutis non officientes, sed eam adiuantes.

Quod si priuatim celebres, sine externis, potes longiori tempore, hoc modo hostiam supra sanguinem & calicem sacrum tenere, & in vnione tam magnæ oblationis, ad eò Deo caræ, & adeo efficacis, commendare Domino feruentissimè varias necessitates, & communes, & tuas priuatas, inter quas nunquam omitte has, *vitam æternam, vna sanctimoniam eximiam, felicem successum in negotiis ob Dei gloriam susceptis.* Ad hæc enim reducuntur omnia alia, & personalia bona, & quæ quærimus in ministeriis nostris. 80.

Dicendo *Pater noster*, Filialem amoris affectum excita erga Deum. *Sanctificetur nomen tuum*: desiderium tuæ eximie sanctitatis & quàm plurimorum aliorum, non ut sint nostra bona, sed ut cedunt in gloriam & gustum Dei. 81.

*Adueniat regnum tuum*, ut Deus in omnium voluntatibus regnet, habens sibi perfectissimè obediens in omnibus: simul pete ut suo tempore, ad eius regnum peruenias sine



purgatorio, & sis ex Electis, & quia, vt docet S. Gregorius, & ex eo S. Thomas, *Prædestinatio orationibus iuuatur ita vt id impetremus, quod Deus disposuit per orationes sanctorum esse implendum: vt scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante secula (per prædestinationem) disposuit donare, vt ait Gregorius l. i. dial. cap. 8. id pete ardentissimè Hoc enim & alij sancti orationi attribuunt*

*Fiat voluntas tua sicut in caelo & in terra. Vt ita Deo hic seruiant omnes homines sicut seruiant in caelo, scilicet.*

*Primò, nunquam peccando, quantum fieri potest.*

*Secundò, semper faciendo Deo res gratas, si fieri posset sine intermissione.*

*Tertiò, omnia faciendo feruentissimè, & adequate gradibus habituum infulorum, & acquirentium: sic enim in caelo fit Dei voluntas.*

*Panem nostrum quotidianum da Nobis hodie; pete omnia necessaria temporalia pro victu & aliis.*

*Et dimitte nobis debit a nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Hic elicias actum Contritionis ob peccata tua, & simul alium heroicum sinceræ dilectionis omnium inimicorum, & aliorum, qui tibi fuerunt, & sunt & erunt causa alicuius tribulationis & molestiæ, parè illos ita amando propter Deum.*

*Et ne nos inducas in tentationem: Humilitatis profundissimè actum hic excita in te, vt timens malitiam tuam, & dissidens propriis tuis viribus, obtineas à Domino gratiam, quæ te præseruet à tentationum periculorum incurfu, ne si fortè acciderent, à Dei gratiâ excideres.*

*Sed libera nos à malo, scilicet culpæ, & pœnæ in Purgatorio luendæ, & calamitatibus vite præsentis impediētibus vel retardantibus nos in bono. Cui desiderio sunt conformia verba sequentia: Libera nos, quasumus, Domine &c.*

*Dicendo Pax Domini &c. Cum signo Crucis omnia illa apta populo Dei & toti mundo, quæ supra dicta sunt optanda esse; cum dicitur ad populum, Dominus vobiscum. c. 7.*

## CAPVT NONVM.

*De aliis affectibus ab AGNVS DEI vsque ad finem Missæ.*

83. **I**N primo Agnus Dei miserere nobis, pete liberationem & præseruationem ab omnibus miseriis spiritualibus, præsertim culpæ & pœnæ, & earum quæ à culpa nascuntur, vt sunt motus inordinati passionum, habitus prauis, tepiditas in obsequio Dei, inconstantia in benè cœptis.

In secundo Agnus Dei pete liberationem & præseruationem ab omnibus miseriis temporalibus, in quantum impediunt nos in viâ Dei, &

cultu pacifico Dei, quales sunt pestis, fames, beliala, incendia, morbi, persecutiones, rapina, debilita, & his similia.

In tertio Agnus Dei, Pacem pete triplicem cum Deo, quam parit bona conscientia; cum domesticis, quam parit vita quieta, cum externis, quam parit vita adificatiua, præsertim in sermone.

Ad Domine non sum dignus; Ad primum, non sum dignus ob peccata mea præterita, præsentia, & futura. Ad secundum, non sum dignus ob vilitatem naturalem. Ad tertium, non sum dignus comparatus infinitæ excellentiæ Dei, cum meo nihilo quod ex me habeo. Quia nihil sum ex me, nihil possum ex me, nihil facio ex me, nihil conor ex me, nihil mereor ex me, ad nihil valeo ex me. Nam si Angeli Deo comparati, inquit S. Chrysostomus, sum veribus viliores, quantum magis tu qui es Angelis longè inferior, & inter quem & Deum, inquit idem, est multo maius discrimen, quam inter lumbricum & hominem, vsque adeo, vt hoc discrimen, sicut lumbrici, & hominis, etsi tantum sit, nullum sit profusus, ita Deus excedit omnes creaturas!

Corpus Domini nostri Iesu Christi. Post hæc verba dicta altquatulum subsistendum est vt subsistebant S. P. Ignatius, S. Xaverius, & S. Philippus Neri, & Bellarminus, & Claudius Aquauia, Suarez, Gregorius de Valentia, & multi alij viri valdè sancti & docti, & declaratum id esse à Congregatione Cardinalium Concilij Tridentini legi Romæ ante 40. annos in manu scriptis Declarationibus huius Congregationis, nec id vetatur in Rubricis Missalis. Potest ergo tantillum sacerdos subsistere tenendo supra patenam SS. Eucharistiæ, ad Christum Dominum per modum colloquij mentalis dirigere affectus præcipuarum virtutum valdè Deo acceptos, quos ex S. Scriptura & historiis Ecclesiasticis scimus eximia Dei dona nonnullis seruis Dei conciliasse, & continere in se inedullam quodammodo perfectionis & sanctitatis. Ne autem longior sacerdotis mora in his erga Deum in SS. Eucharistiæ præsentem depromendis affectibus, tædium pariat Missam audientibus, sumus à breuitate (eximio tamen spiritus & deuotionis feruore impinguatâ) eliciendi sunt. Quod difficile non erit, si antea menti, & memoriæ benè impressi fuerint. Possunt autem hi virtutum actus affectus hoc vel simili modo formati.

Primò. Ita est Domine Iesu Christe, non tantum te non sum dignus, sed indignissimus, quia sum omnibus peccatoribus, & diabolis & damnatis peior, & ex me abominabilior, indignus omni bono, dignus ob innumera peccata mea omni malo.

Secundò. Feresus tamen pietate ac misericordia tuâ iustificatus, propter auctoritatem tuam, credo omnia quecunque credit à te edocta sancta Romana Ecclesia, & anathematizato omnia, que illa anathematizat.

Tertiò. Et inmixtus infinitis meritis tuis, & auxiliis



ius sanctorum eorum ac communionis eorum spero à te omnia auxilia necessaria, imò, & superabundantia pro consequenda mea perfectione & salute eterna.

Quartò. Gaudeo & exulto de omni bono, felicitate, ac gloria tua. & desidero propagationem quam maximam diuine glorie tue, & volo omnia quacunque vis, nolo omnia qua non vis siue per te siue per vicarios tuos.

Quintò. Et propter te super omnia à me dilectum, doleo de omnibus meis & alienis peccatis, eaq; quantum possum detestor. & semper omnia fugere. & pro iis plenissime in hac vita satisfacere volo. vt anima mea & corpus meum sit purissimum & tibi iucundissimum habitaculum tuum nunc & in secula.

Sextò. Parco Domine omnibus iis, qui me vnquam aliqua iniuria vel potius molestia affecerunt, & afficiunt demerps, eosq; propter te tanquam insignes benefactores meos sincere amo. & in perpetuum amare iussu propter te benefacere volo. & felicissima quaeque iis opto ex animo, semperq; optabo.

Septimò. Præterea irrenocabilmente me offero ad toleranda ex amore tuo, omnia mala poenalia in hac & in altera vita, in quantum licet & decet iuxta diuinum gustum & beneplacitum tuum, sine vlla exceptione.

Octauò. Renuntio rebus omnibus, quibus propter te renuntiare possum, præsertim voluntati, & iudicio, & amori proprio, ac libertati, donans tibi omnia, quacunque tibi à me iuxta diuinum gustum & beneplacitum tuum donari vnquam possunt, & mihi de me propter te nihil relinquo, sed etiam omnia iura, quae ex gratia tua ad aliquid etiam ad gloriam caelestem habeo, in te propter te transfundo, iuxta diuinum gustum & beneplacitum tuum, volens si tu vis propter te carere omni bono, dummodo te nunquam priuer, & te nunquam offendam, quantum fieri potest.

Nunò. Te autem omne & summum bonum meum, libet & in aliis omnibus speciebus Eucharisticis per totum mundum suppliciter adorans, quando ita te demittere dignatus es, in vnione omnium meritorum tuorum libentissime intra me recipio, tanquam Deum, Dominum, Creatorem, Redemptorem, Patrem, ac omne bonum meum, vt per te ac propter te reddar dignum habitaculum tuum, & diuinam presentiam tuam liberer ac præferer ab omni profuso peccato, & replear propter gustum tuum, omni bono & dono Diuine gratiae tuae, in mensura bona & conferta, & coagitata, & supereffuente, in beneficium viuorum & mortuorum in Ecclesia sancta tua. Amen.

His affectibus solâ mente elicitis, cum pleno amoris ac reuerentiae affectu sume sacram hostiam.

Porrò hi nouè affectus etsi videantur longiusculi, qui tamè eos antè bene menti & memoriae impressos habent, frequentando illos, ad eò celeriter deinde eliciunt, vt quodammodò instantaneè depromantur. Solet enim diuina Maiestas, fideliter & feruenter sibi feruentibus animabus, tantam ad tales affectus effundendos concedere promptitudinem, & quandam agilitatè, vt in breuissimo temporis spatio, & quasi

Lancicij Opusc. Tom. 2.

instanti, multa valdè, simul, idque clarè & distinctè, concipiant, cogitentque, & voluntatis actibus expriment, quæ si aliis verbo exprimerent deberent, valdè longo tempore ad id opus esset.

Sumptâ SS. Eucharistiâ tales affectus (eam in ore tenendo, & sensim in ventriculum demittendo, per partes) potes elicere, si meliores non habes, quales soleni (proportione quadam loquendo) exhiberi Principibus vel Regibus, dum domum, alicuius dignantur inuisere, nimirum, primò. Adora tantum hospitem in eius diuinitate & Humanitate.

In diuinitate vbique existentem, præsertim in tribus locis.

Primò. In iis in quibus offensus est hæctenus à nobis.

Secundò. In quibus benè fecit nobis.

Tertiò. In quibus benè passus sumus.

In Humanitate adora eum. Primò, in iis locis in quibus operatus est opera Redemptionis nostræ.

Secundò. In omnibus speciebus SS. Eucharistiæ per vniuersum orbem terrarum, præsertim in iis locis, in quibus SS. Eucharistia inhonorata est, ab hæreticis, vel Catholicis sacrilegè eam recipientibus, vel non eo quo par est modo illam colentibus.

Secundò, Gratias age, quòd ad te tam indignum omni bono & dignum omni poenâ ob tua peccata (quæ te fecerunt viliorem, scdio-rem, & abominabiliorem ac peiorem omnibus diabolis, & peccatoribus & damnatis) venire dignata est tanta Maiestas, tam intimè, & quidem cum totâ substantiâ suâ, diuinitate & Humanitate. Simul age gratias, pro communibus præteritis beneficiis (breuiter, sed affectuose) Creationis, Incarnationis, vitæ, Passionis ac mortis eius pro beneficio SS. Eucharistiæ institutæ & pro tam multiplici applicatione meritorum suorum tibi, ac aliis viuus, & mortuis, & tandem quòd in tam multis prædestinatis, sua dona in cælis coronet, & non cesser benefacere, etiam iis, qui abutuntur eius donis, vel sunt ingrati.

Inter personalia autem beneficia tibi collata, age magnas gratias pro magnâ patientiâ erga te, in tolerandis tot peccatis tuis, & tepiditatibus, & conuersione tui ad vitam bonam vel meliorem, & beneficio vocationis ad statum Religiosum, & tua ad hunc Diem in illo perseverantia, & tot bonis inspirationibus ac auxiliis, quibus promoueris in bono, & præferuaris à malo, & pro crucibus, si Deus te aliquarû participem fecit, & pro aliis occultioribus.

Tertiò, tracta tam magnum hospitem tribus modis.

Primò. præbendo ei cibos, quibus delectatur.

Secundò, dando illi ea, quæ à te sibi dari desiderat,



*Tertio*, offerendo ei aliqua ex supererogatione, quæ putas ei maximè grata fore. Hæc autem sic exequeris:

89. *Primo*, detestando propter eum super omnia amatum, omnia peccata tua & aliena, & simul dolendo de iis, super omnia alia mala, & volendo facere omnia, quæ teneris tanquam Christianus, & tanquam Religiosus, & tanquam sacerdos, & tanquam in tali gradu vel officio constitutus. Voluntas enim illius, & cibus ei gratus est, ut declines à malo, & facias bonum quod tenentis.

90. *Secundo*, hic renoua breuiter omnia vota tua, & voluntatem exequendi tria F. scilicet fugiendi omnia quæ ei displicent, & sunt triplicia: *Primo*, peccata clara. *Secundo*, violationes regularum. *Tertio*, defectus in operando. Item, faciendi bene omnia opera ordinaria; hoc est. *Primo*, purâ intentione diuinæ gloriæ quàm maximæ. *Secundo*, diligenter. *Tertio*, feruenter. Item ferendi æquo & libenti animo propter illum, omnia quæ displicent amoris proprio, quæcunque sunt contraria bonæ apud alios opinioni & famæ & honori ac libertati, & sunt tui quàm maximè afflictiva & humiliatiua ac contemptiua, & exprimentur Regulis 8.9.10. Hæc verò sunt quæ à te desiderat Dominus Iesus tuus.

91. *Tertio*, offer ei seu vota personalia tua propria, quæ habes, vel aliqua alia bona proposita aut generalia aut personalia, deriuata ex affectibus secundo loco paulò ante elicitis, præsertim renuntiationem proprii amoris, iudicij, voluntatis, libertatis, quoad Electionem officiorum, locorum, graduum, personarum, ne vnquam eâ utaris, sed tanquam iumentum irrationale subdas te Dei vicariis, tractandum pro libitu eorum, quoad omnia, nullâ re, præter solum peccatum, exceptâ. In qua renuntiatione, pone etiam omnia humana solatia & diuina, & ipsam cœlestem beatitudinem, volendo te eâ priuari, si id sine vlla Dei offensa cedere posset in maiorem Dei gloriam, & iuxta beneplacitum eius. Hæc spectant ad triplicem Dei tractationem.

92. *Quarto*, pete à tanto Monarcha cœli & terræ, quæ tibi & aliis viuus & mortuis sunt necessaria & conuenientia seu vilia: sunt autem hæc;

*Primo*, ne illum vnquam deliberatè offendas, & indeliberatè quàm rarissimè, & peccata omnia quàm citissimè & quàm perfectissimè expies, quoad culpam & totam pœnam. Idem pro aliis petes, præsertim pro peccatoribus seu filiis spiritualibus & amicis tuis, & pro benefactoribus tuis duplicibus, v.g. qui te aliquando afflixerunt, & qui te aliquo beneficio fauorabili solati sunt.

*Secundo*, vt perpetuò proficias in virtutibus omnibus tuo statui conuenientibus, & tali profectu, ad quàm maximam perfectionem pertingas, ad dandum quam maximum ea Deo guttum, & gloriam, conciliando Christo Re-

demptori & Spiritui sancto consolationem: vñ sis quàm simillima imago Dei Patris: & membrum dignum capite tuo Christo: Et templum summâ sanctitate edificatum, pro habitaculo Spiritus sancti, idque ad mortem cum perseuerantia finali tua & tuorum, pro quibus idem pete.

*Tertio*, pete liberationem vel diminutionem pœnarum, animabus in Purgatorio existentibus, iis præsertim, quæ te aliquo beneficio affecterunt, prospero vel aduerso, & quarum fuisti Pater spiritualis vel amicus &c.

*Quarto*, pete ea quæ eo tempore sunt tibi commendata vel à superioribus vel ab amicis, alii tibi vel quæ petenda præfens status Ecclesiæ vel Regni aut Imperij exigit, & ora pro iis qui se vel per literas vel ore tenus illis diebus tuis precibus commendauerunt.

*Quinto*, pete auxilia pro personalibus tuis eo tempore necessitatibus, quas vel in beneficium tuum, vel in beneficium aliorum tunc commendare soles. Petere autem, vt ad omnia hæc Deus suam benedictionem è cœlo demittat, in mensura bona, conferta, & coagata & superfluenta, vt etiam in beneficium aliorum deriuentur dona & auxilia (quæ tibi fontanea Deitas communicare solet) viuus & mortuis.

Potes etiam hoc modo breuiter Christus Dominus post assumptionem Sanctissimæ Eucharistiæ exipere:

Adoro te dulcissime Iesu cum Patre & Spiritu sancto venientem ad me indignissimum & omnibus creaturis rationabilibus peccatorem: hic & in omnibus speciebus Eucharisticis existentem, & in omnibus locis in quibus te offendimus, & in quibus aliquo beneficio tuo affecti sumus, & in quibus aliquid passi sumus, & in quibus operatus es opera Redemptionis nostræ.

Et gratias tibi ago, pro tuo ad me indignissimum aduentu, & pro omnibus beneficiis tuis communibus & personalibus, notis & ignotis, præsertim pro beneficio Redemptionis nostræ, & pro liberatione ac preservatione nostrâ à tam multis peccatis, & pro gratiâ Iustificationis ac sanctificationis, ac tam ampla multitudine auxiliorum gratiâ à te in nos conferri solitorum, & tam multiplici vsu & fructu sacramentorum in Ecclesiâ sancta tua, ac predestinatione nostrâ ad gloriam cœlestem, & pro patientia tua in tolerandis toti nostris peccatis, & perseuerantia multorum in gratiâ tua, & tot animarum conuersione ac vocatione ad statum Religiosum, & pro diuinis tuis manu ductionibus ad viam perfectionem.

Quocirca in vnione omnium meritorum tuorum offero tibi, & Patri, & Spiritui sancto hoc SS. sacrificium & sacramentum (in recognitionem infinitæ tuæ Maiestatis, ac nihili nostri & indignitatis nostræ, ac demeritorum nostrorum) pro omnibus beneficiis tuis, & pro peccatis ac necessitatibus nostris: & in vnione huius SS. oblationis, offero tibi omnia vota mea, omnia desideria & proposita bona, omnes renuntiationes meas, omnes actus, qui tibi vnquam in me & in aliis placuerunt, illos ratificando, desiderando, & iterando, in quibus



non possum: Et rogo diuinam Maiestatem tuam, vt has oblationes in odorem suauitatis acceptare digneris, & effundere in nos & in nostra omnia, omnem benedictionem tuam celestem, in mensura bona, conferta & coagulata, & superfluente, quæ benedicat omnia nostra: in primis (hic commendanda sunt omnia illa, quæ quotidie Deo commendanda esse pro nobis, vel pro aliis cupimus, quæ solent esse diuersa pro diuersitate personarum) & vt hæc benedictio tua deriuetur in animas defunctorum (hic commemorata animas quas Deo commendatas esse cupis) & alia &c.

Alia monita circa præparationem ad Communionem, & circa gratiarum actionem post Communionem legi possunt tum in Opusculo de conseruando spiritu, tum in alio de efficacia SS. Eucharistiæ ad profectum spiritualem. Quam ad rem conducere possunt affectus sequentis capitis decimi, qui etiam libro secundo repetuntur aliter, vt memoriam lectorum huius Opusculi melius imprimantur.

## CAPVT DECIMVM.

Potest etiam hoc modo coli Deus in Sanctissimâ Eucharistiâ, & vt Sacramentum, & vt sacrificium est.

Ante Communionem vel sacrificium  
Missæ.

44. Consideranda primum est excellentia sacrificij, quæ sumitur primò ex eo, quod in illo offertur, scilicet Christus Dominus ratione Humanitatis suæ, quæ quia nihil est excellentius, ideo nomine eius actio ipsa sacrificandi omnes alias actiones creatas excedit, etiam sanctorum actus, Deum in celo laudantium.

45. Secundo, ex ipsa ratione sacrificij, quæ includit transmutationem, & transubstantiationem rei, quæ offertur. Hæc enim supernaturale quiddam est, & quidem in altissimo ordine rerum supernaturalium: siquidem in aliis rebus supernaturalibus tantum ex obiecto desumitur, hic verò etiam ex ipso modo in entitate sacrificij, quæ quia totius substantiæ, omnino, secundum omnes partes suas, est substantialis, conuersio in alteram substantiam nouam, quæuis res, quæ sacrificatur esset naturalis, adhuc ipsum tale sacrificium supernaturale esset.

46. Tertio, ex valore huius sacrificij, qui ex opere operato infinitus est, sicuti & merita Christi, & Passio (etsi non tam amplè) ac proinde ex se tam Deo placet, quam placuit actus moriendi in cruce, cum pro redemptione nostra vitam tradidit pro nobis.

47. Quarto, ex significatione, quam habet, scilicet, quia est representatio Passionis Christi & mortis: cum ergo passio & Mors Christi res

quædam stupenda, & humanum excedens caput fuerit, ac nouum quid in hoc mundo insolitumque, sicut erat insolitum Deum ipsum mori (imò blasphemia esset si dicerem in veteri lege) ita representatio huius rei tam mirabilis, excellens quoddam & stupendum sit, necesse est.

98. Quinto, ex re cui hoc sacrificium offertur, quæ est solus Deus, aded vt nulli sanctorum, etiam Beatissimæ Virgini, nec omnibus sanctis simul possit hoc sacrificium offerri, sed soli Deo: sicut si esset aliqua res, quæ in solius Principis vsum cederet, aliis rebus, quæ ei sunt communes cum aliis, esset excellentior; ita hoc sacrificium omnes alias actiones superat, idque non ex moralis quadam æstimatione, ex quâ vt vestes, Tiaræ, sigilla Pontificia, ad eius solius vsum sunt destinata, sed ex ipsa intrinseca rei natura, adeo, vt ne Deus ipse per totam omnipotentiam suam facere possit, vt sacrificandi actus, vlli alij, quam sibi, fiat quod si honor & adoratio latræ hoc habet, & nulli, nisi soli Deo, exhiberi possit, actus sacrificandi adhuc præstantior erit, quia in se habet quendam modum peculiarem Deum honorandi, ratione rei, quæ offertur, nempe Christi Humanitatis.

99. Sexto, quia est intrinsecè actus, qui nullo modo pendere potest immediatè ab aliqua potentia creata, tanquam à causa principali, ne quidem secundum rationem genericam proximam. Nam v.g. actus amoris erga Deum, vt finem supernaturalem, est quidem supernaturalis, qui tamen à potentia vitali tanquam à suo principio immediatè pendet; ita vt si supernaturalis non esset ille actus, verè homo per potentiam vitalem posset esse causa principalis vitalitatis. At in transubstantiatione panis & vini in Corpus & sanguinem Christi, nihil est, quod posset à potentia creata (à qua fit) effici, tanquam à causa Principali immediatè. Potentia enim quæ immediatè attingit actum sacrificandi, in sacerdote, vt potentia motiua efficiens loquutionem, seu formam Consecrationis, legendo, quæ ex se non est apta, facere mutationem substantialem: ac proinde in sacrificio ne secundum quidem rationem genericam respicit tanquam causa principalis suum effectum, considerando mutationem substantialem etiam vt præcisam à supernaturalitate. Quamuis enim potentia aliqua creata sit causa mutationis substantialis, vt est potentia generatiua; potentia tamen loquutiua, quæ est immediatè efficiens actum consecrationis, non est apta per se ipsa causare ex natura sua mutationem substantialem totalem.

100. Septimo, quia sacerdos hoc sacrificium peragat in persona Christi: ita ergo se gerere debet in eo, ne quid committat, quod dedecet personam Christi. Sicut legatus sustinens personam Regis cauet ne quid indecorum committat.



101.

Secundò, consideranda est necessitas huius sacrificij, illo enim, qui sunt in hoc mundo & Purgatorio egent, hi vt liberentur, ad caelos migrent; illi vt continuis Dei praesidijs adiuuentur, quò possint liberari à necessitatibus corporalibus & spiritualibus: quæ omnes in memoriam renocandæ sunt, & quasi totus mundus retro te sacrificantem staret, clamans ad Deum & necessitates suas proponens. Primò, enim in maxima necessitate sunt male viuentes Catholici, hæretici, schismatici, Iudæi, Infideles, & Iusti tepidi, afflicti serupulis aliisque tentationibus internis, pauperes, ægroti, incarcerati, a re alieno grauati, persecutiones aliorum sustinentes, iniuste infamati & accusati: Bonis verò operibus intenti, vt iis, qui versantur in auxilijs animarum docendo, concionando, sacramenta administrando, vilia obsequia obeundo, res bene succedant in his & in alijs actionibus. Cùm ergo tot ac tantæ necessitates sint, affectus deuotionis debet esse illis proportionatus, vt singulis Diuini auxiliij particulam impetres, porrectis per te in Missa eorum supplicibus libellis, & Diuinæ misericordiæ seridè commendatis.

102.

Tertiò, considerandum est gaudium, quod sanctissima Trinitas, cælestes, & Animæ beatae percipiunt ex deuotâ celebratione Missarum, non tantùm quia bonum opus est, vt alia opera, sed quia à Christo Testamenti loco relictum ante mortem, idque ex maximâ eius caritate, quâ in finem voluit diligere suos, & quia est representatio mortis Christi, quâ mediante peccata nostra deleta sunt, & homines redempti, sancti saluati, & alij adhuc in carne viuentes tot beneficijs cumulati: quæ omnia, quia maximè placent Deo, ipsa etiam actio sacrificandi, & vt representatio causæ tot bonorum, & vt noua impetratio aliorum beneficiorum in Dei cultum & honorem redundantium, sine dubio valde placet. Vide ergo ne quid in sacrificando facias, quod, quantum est in te, hanc Sanctissimæ Trinitatis sanctorumque lætitiâ ex odore huius sacrificij prouenientem, inturbet.

103.

Quartò, considerandum, cùm hoc sacrificium representet Christi Passionem & mortem, est veluti quædam imago: Quocirca nihil turpe à te in ea ponatur, quod Dei oculos offedere possit: & est veluti actio transiens Christi mortem exprimens; quare nullus impetus, gestus, à spectatoribus eius, qui sunt Sanctissima Trinitas, Christi Humanitas in caelo, Angeli & Animæ beatae, notari debet: præsertim cum sacerdos Christi personam gerat, dum sacrificat. Si ergo præsentem Rege in theatro agens personam eius, & aliquam actionem exprimens, dares operam, vt ante illum bene in te referres, adest enim, qui defectum notet, & cui dedecus quoddam, malè partes eius sustinendo, facis; Ita cùm Christus, quem in hac sacra Tragedia refert, adit; vide, vt ita te geras, quemadmodum

debet Christi personam se gerere, in te representantem. Est etiam hoc sacrificium veluti Thymiam quoddam, spirans Deo odorem suauitatis: videndum est igitur, ne factor aliquis tui, odoris fragrantiam ex eo prouenientem perturbet: vt Deus Pater dicere possit: *Ecce odor Filij mei sicut odor agri, cui benedixit Dominus.* Est quoque hostia quædam, & placenta, vt ait Dauid, Deo oblata, & panis propositionis, & Manna cælestis: omnis ergo amaritudo abesse debet. Est hymnus sacer, & Epicedium ante Christi mortem compositum, & ab Ecclesia Sanctissimæ Trinitati cani solitum: quocirca caue, ne quid absonum tuâ culpâ audiatur, quod suauissimam harmoniam, verborum & orationum dissipet. Et quia tempore Missæ datur tibi commoditas cum Deo agendi, omnesque mundi necessitates exponendi; decentet & frequenter id transige. Sicut ergo ad Regis conspectum admissum, turpe esset ac indecens oculos retrouertere, vel taciturnitate vel hæsitacione loquendi iniustam reddere legationem, aut frigidè grauissima negotia tractare, ita indecens est valde, si oculos mentis tuæ auertas à Deo, cogitationes tuas transferas aliò, vel nescias quid Deo proponas, & sine ardore deuotionis, & ne dum Agnus cælestis in sacrificio ardet atque absumitur, tu frigidus tantæ flammæ assistas.

104.

Quintò, considerandum, quàm malè innumeri hominum per vniuersum mundum Deo seruiant, quot & quanta committant peccata contra legem naturalem & Diuinam; ipsi etiam Religiosi, qui maioris perfectionis obligatione tenentur: quàm multi sunt, qui Dei obsequio non tam perfectè se, quàm possent tradiderunt, in tot rebus otiosis ludicrisque versantur, nec, vt deberent, de Deo, semper cogitant, & loquuntur, nec in eo sunt positi, vt quàm maximè Deus ex illis, & in illis glorificetur. Quæ omnia considerans, tactus dolore cordis intrinsecus, excita in te vehementem & ardentem cordis affectum erga Dominum tuum tam parùm ab hominibus honoratum amatumque; ac veluti in compensationem omnium peccatorum & defectuum, da operam, vt hoc sacrificium offeras eâ intentione & deuotione, vt, si fieri posset, obliuiscatur eorum, quæ sunt ab alijs contra suam sanctissimam voluntatem; & vt more nostro loquamur, totus resoluatur in gaudium & exultationem ex suauitate sacrificij à te in eius honorem oblato, non tantùm propter valorem, quem habet, ex opere operato, sed etiam ex opere operantis.

105.

Sextò, ex altera parte considera, eum quanto amore & feruore laudetur in cælis & ametur sanctissima Trinitas à spiritibus cælestibus, & sanctis animabus, præsertim ab animâ Christi & Beatissimæ Virginis, & aliorum illustrium sanctorum. Quocirca cogita te cum alijs sacerdotibus in hac vita esse velut in Choro musico con-



constituti, ut illis tam suauem sonum edentibus in celo, tu quoque cum aliis sacerdotibus non ab similem edas concentum laudum & precum, ne quodammodo, ut in humanis rebus accidere solet, veluti pudore afficias (loquendo more nostro) illos Beatos tam suauiter Deo concinentes, & tuæ vocis dissonantia iucundissimam illam harmoniam perturbes.

104. Consideratis iis, quæ excitare possunt in te affectum deuotionis ad celebrandum, cum omni puritate & seruire cordis. Missæ sacrificium, colitur certum finem, propter quem illud Domino Deo ad gloriam eius & honorem vis offerre. Vt pro gentium reductione, pro conuersione hæreticorum, &c. Quando autem illud offeres pro re aliquâ, circa quam dubitari possis, an indigeat huius sacrificij oblatione, substitue aliam certam, de qua dubium esse non possit. Vt quando pro mortuo aliquo celebras, ut liberetur à Purgatorio, dubium esse potest. Fortè iam est ille liberatus inde, tum aliquam aliam necessitatem substitue, v.g. conuersionem infidelium. Ceterum enim est rem hanc egere maximo Dei auxilio, quod Missæ oblatio impetrare potest. Porro quando nulla obligatione teneris pro te aliqua determinata, sed in tuo arbitrio positum est, illam pro quacunque re velis offerre, tunc propter hos fines (nisi alia maior necessitas urgeat) illam offeres. Primò, pro remissione peccatorum tuorum quoad culpam & pænæ obligationem. Secundò, pro beneficiis omnibus tibi à Deo ad hoc tempus concessis. Tertiò, pro necessitatibus iis, quas eo tempore seruo Domino commendare solet, dirigendo tamen vltimus hos fines ad Dei Gloriam, & intimum eiusdem gustum & consolationem, & ad recogno-scendum eum, tanquam supremum numen, cui subiecta sunt omnia creata.

105. Hoc factò ex ardenti affectu erga Dei honorem & gustum, ut scilicet quam maximam gloriam & consolationem percipiat Sanctissima Trinitas ex tuo sacro, Roga. Primò, Deum Patrem, ut cum eo affectu det tibi in Missa corpus Filij sui, cum quo illud in Incarnatione dedit sanctissimæ Virgini, & cum illa donorum celestium copia, quam illa in Christi conceptione percipit. Secundò, Deum Filium, ut se tibi det cum eo affectu & copia donorum, quæ se Beatissimæ Virgini Matri suæ dedit tunc, dum eum concepit in sanctissimo utero suo. Tertiò, Deum Spiritum sanctum, ut tam mundum, tam ardens diuino amore, & tam plenum donis Diuinis corpus & animam tuam efficiat antea, & per aduentum sanctissimi sacramenti, quam mundum, ardens, & plenum reddiderat corpus & animam sanctissimæ Virgini, dum Christum Dominum conceptura erat & concepit. Quartò, Beatissimam Virginem, ut tibi impetret tam perfectum amorem erga Christum Dominum, quam perfectè illa ipsum amabat, dum cum eo

in hac vitâ conuersaretur. Quintò, omnes Spiritus Angelicos, ut tibi impetrent tantam erga sanctissimum sacramentum reuerentiam, quantum ipsi Christo exhibuerunt ei ministrantes, & nunc exhibent in celo. Sextò, omnes sanctos, ut tibi impetrent tantam deuotionem erga sanctissimum sacramentum, cum quanta ipsi eum in hac vita suscipiebant, & tantum ex sacra Communionem in virtutibus augmentum, quantum ipsi ex ea habuerunt. Septimò, Christi denique Humanitatem roga, ut cum eo affectu se tibi in sanctissimo sacramento communicet, cum quo in cruce animam suam dedit pro nobis, & cum quo sanctissimum hoc sacramentum in memoriam suæ passionis instituit, & cum ea celestium donorum accessione, quæ respondeat illius meritis per vitam, Passionem, & mortem suam pro humano genere ab ipso acquisitis in beneficiu nostrum.

108. Paulo ante Communionem considerabis affectus *Amoris*, quo profequitur Sanctissima Trinitas Humanitatem Christi, & illius, quo eandem in hac vita profequatur Beatissima Virgo, & nunc profequitur, & cum eo, quo eum alloquebantur & excipiebant sancti aliqui, quando illis visibiliter apparebat, ut S. Francisco, S. Catharina Senensi, S. Ignatio. *Deuotionis*, cum qua ad Communionem accedebant quidam sancti, ut S. Ignatius, B. Aloysius, B. Stanislaus &c. *Amoris*, quem Christus habebat erga nos, dum sacramentum hoc, quasi testamentum, in sui memoriam & salutem nostram, institueret. Et similes affectus in te excita erga Christum, qui venit ad te, tanquam Creator ad Creaturam, Dominus ad seruum, Pater ad filium, Amicus ad amicum, Redemptor ad vile mancipium, Magister ad discipulum, Medicus ad ægrotum, Frater natu maior ad fratrem natu minorem. Plenus omnibus thesauris, acquisitis per vitam, passionem, & mortem suam, in remissionem peccatorum nostrorum, & largitionem donorum gratiæ & gloriæ. Ex his affectibus excitatis, magno cum desiderio eum expecta, & cum interno amore recipe venientem.

*Post Communionem, vel sacrificium Missæ.*

109. Sumptâ Eucharistiâ, hi erga Christum sumptum affectus in te sunt excitandi. Primò, *Humilitatio*. Humilia te profundissimè ob aduentum tanti Domini, reuocando in memoriam cum dolore. Primò, peccata vitæ præteritæ. Secundò, imperfectiones & tepiditatem præsentem, Tertiò, naturæ tuæ vilitatem, collaræ cum Christi Diuinitate. Quartò, perfectiones Christi in quantum Deus est & homo.

110. Secundò, *Adora*. Adora Primò Sanctissimam Trinitatem in Eucharistia existentem. Secundò, Christi



Christi Humanitatem intra te nunc existentem. Tertio, eandem existentem in tot locis SS. Ecclesie, in quibus conseruatur. Sacra Eucharistia, gaudente de eius cultu & honore; iis in locis, in quibus valde frequentatur & colitur, & dolendo de exiguo cultu, in illis locis, in quibus non valde honoratur, veltiam blasphematur. Quarto, Christianitatem speciatim tanquam plenissimam omnibus sanctitatis ornamentis, & meritis, & tam antiquo ac constanti sacramentoque erga te amore. Quinto, Christi corpus, tam multa, & tam acerba, & indigna, propter te passum, & tandem occisum, oscula spiritualia imprimendo iis corporis partibus, quae magis tui causa fuerunt doloribus & vulneribus ex-cruciata.

112. Tertio, *Gratiarum actio*. Gratiarum age ex intimo affectu. Primo, pro eius aduentu in hac communione. Secundo, pro eius aduentu in Incarnatione. Tertio, pro tot meritis & exemplis virtutum, ab eo, dum viueret collectis & relictis in beneficium tuum. Quarto, pro institutione huius sanctissimi sacramenti, & aliorum. Quinto, pro eius morte & nostra redemptione. Sexto, pro eo quod te ad sacerdotium euexerit. Septimo, pro conseruatione. Nono, pro conuersione ad Fidem. Decimo, pro iustificatione. Undecimo pro uocatione ad Religionem. Duodecimo, pro perseverantia in statu gratiae, & Religionis. Decimotertio, pro patientia eius in tolerando tot peccatis tuis & aliorum, ac imperfectionibus. Decimoquarto, pro sanctitate tot Sanctis concessa. Decimoquinto, pro tribulationibus quibus es vnquam exagitatus. Decimosexto, pro assidua perfectione tua in via perfectionis. Decimosextimo, pro beneficiis peculiaribus insignibus, quae nulli desunt propria. Decimo octavo, pro eo, vel iis, quae tibi mediate vel immediate concessit. Decimonono, pro omnibus aliis generalibus & particularibus, quae alicui creaturae Deus adhuc concessit, & imposterum concedet, praesertim quae dedit ipsi Christi Humanitati, Matri eius, & aliis sanctis ac Electis; nominatim vero pro institutione Congregationis vel Ordinis tui, propagatione eiusdem, tot tribulationibus, quibus vexatus est, & adhuc vexatur: pro tot sanctis ac doctis hominibus ei datis totque ad eum suauiter & mirabiliter vocatis; pro fructu ab eo in vniuerso mundo edito, tot bonis amicis, qui eum valde amant, tot aduersariis eam persequentibus.

113. Quarto, *Oblatio*. Offer Sanctissimae Trinitati sanctissimum sacramentum, quod suscepisti, ad eius gustum, honorem, & consolationem, pro omnibus beneficiis ab ea acceptis, tuis & aliorum; pro peccatis omnibus tuis, & aliorum; pro necessitatibus tuis, & aliorum, praesertim tuorum & societatis, viuorum ac mortuorum, amicorum, & inimicorum. Offer Christo suscepto,

in vnione eius meritorum & sanctorum membrorum eius; Primo, animam & corpus tuum cum omnibus potentis, membris, sensibus, actionibus, & cessationibus ab iis, desiderando tantam rerum omnium tuarum sanctitatem, vt iis perpetuum quoddam holocaustum, ardens ad gustum & honorem Diuinae maiestatis, & quodammodo te consummens, & in nihilum redigens pure propter Dominum Deum tuum. Secundo, voluntatem moriendi potius, vel quiduis aliud tolerandi, quam offendendi, eum peccato deliberate facto mortali vel veniali. Secundo, perfectiora semper eligendi; & in aequo perfectis ea, quae magis repugnant sensibus tuis, iudicio, voluntati, & honori, quantum spes maioris Diuinae gloriae patitur, vt ita quam maxime sis similis Christo crucifixo. Tertio, perseverandi in obseruatione Dei mandatorum, & consiliorum, ac Regularum perfecta, ac tribulationibus plena. Quarto, patiendi multa graua, putata pro leuibus, pro Christo. Quinto, in omnibus actionibus tuis nullum alium finem, quam ipsum Deum quaerendi. Sexto, omnes homines, si fieri posset, ad eius maximum amorem conuertendi, vel conuersos esse sciendi.

114. Quinto, *Petio*. Pete a Christo fertenter, Primo, remissionem peccatorum tuorum quoad culpam & penam. Secundo, perseverantiam in eius gratia, & vita sancta. Tertio, tribulationes acres, frequentes, diuersas, personales, habitas pro leuibus, occultas, sine causa ex parte tua, & sine peccato tuo & aliorum tribulantia. Quarto, perpetuum augmentum humilitatis, paupertatis, castitatis, obedientiae, fidei, spei, caritatis, prudentiae, iustitiae, fortitudinis, temperantiae, patientiae, deuotionis, orationis, discretionis spirituum, passionum mortificationis, puritatis cordis quam maxima, & aliarum virtutum.

Pete parum habere cor ab actibus malis materialiter, & formaliter, inmeritoriis, tepidis, habitibus vitiosis passionum inordinatarum, obligatione pena temporalis nunc, & in hora mortis tuae.

Pete gratiam in omnibus actionibus tuis quaerendi hoc, quod natura, perfectio, & mortificatio exigit; omnes actiones tuas tam intense eliciendi; quam sunt habitus infusi & acquisiti in te; & vt actiones tuae cognitioni adaequate respondeant; vt in omnibus perfectissime respondeas Diuinae gubernationi; diuissime viuendi cum magna sanctitate, & fructu animarum; assidendi corpus acerrime, sine detrimento maiorum bonorum, praesertim sanctitatis; utiliter concionandi; conuersandi, confessiones audiendi; dolores aliquos acres colicos, vel alios a pro tempore sentiendi, vt eorum sensu exoluas debitum pena temporalis. Pete denique vt quam facillime fieri potest, ita dirigantur omnes tuae potentiae, sensus, membra actionesque tuae, quemadmodum eius Diuinitas dirigebat



bat eandem res sanctissimæ Humanitatis.

Pete etiam à Deo Patre, Primò, Ecclesiæ sanctæ Pastorum vigilantiam, & vitam exemplarem, conuersionem in fidelium, Hæreticorum, Schismaticorum, Peccatorum, Tepidorum, multiplicationem & progressum perpetuum perseverantemque sanctorum. Secundò, regibus ac Dominis temporalibus Religionis ac iustitiæ amorem, mutuam concordiam, in negotiis civilibus licitum successum. Tertio, afflictis in morbo & paupertate auxilium & solatium; in persecutionibus hominum patientiam; & ab eis, si id sit cum maiori Dei gloria coniunctum, liberationem. Quarto, aduersariis tuis, vel societatis, gratiæ & gloriæ dona. Quintò, societati Iesu mortificationem omnium passionum, denotionem, adificationem, zelum animarum & fructum, perpetuum in virtute ac literis progressum, in tribulationibus protectionem, sufficientiam honorum temporalium, abundantiam operariorum pro vinea Domini. Sextò, defunctis societatis, is preferim qui nuper obierunt, vel qui suffragiis communibus commendati sunt, societas, vel tui aduersarij fuerunt, cognatis, amicis, reliquis, præsertim iis qui vel nullis, vel valde exiguis suffragiis iuuantur, ut liberentur à Purgatorij penis quam primum, & in celo tui sint peculiare Patroni. Septimò, illis negotiis, quæ ultimò erant à superioribus commendata orationibus nostris, prosperum successum; vel si personæ sint commendatæ, ut à Deo iuentur in eo, in quo orationibus nostris egent. Hic reuocandum est id, pro quo in scheda mensurâ orandum præscribitur.

Sextò, *Actus virtutum* variarum circa sanctissimum sacramentum elicies:

Primò, *Adorationis*, adorando illud in te ipso susceptum, & in omnibus aliis templis vniuersi mundi; adoratione patriæ. Porro hunc adorationis actum intensiorem efficias cogitando de illis templis, in quibus parum honoratur sanctissimum sacramentum, vel in quibus grauiora contra eius cultum peccata committuntur. Secundò, *Fidei* considerando Christum, qui est in sanctissimo sacramento, à te susceptum, esse verum Deum, & hominem, & cuius Diuinitati ac humanitati conueniunt omnia ea, quæ de iis credit S. Ecclesia, & quæ de iis negarunt Hæretici. Tertio, *Spei*, sperando à Christo, ut à Deo, multa dona naturalia, & supernaturalia gratiæ, & gloriæ, tanquam à causa principali, ab homine verò eadem per eius merita acquirenda. Quarto, *Charitatis*; Primò, eliciendo internum quemdam voluntatis fernidæ amplexum erga Christum ut Deum, & hominem. Secundò, gaudendo quòd eius Diuinitas tam perfecta sit in se, & respectu nostri, ut perfecte cognosci non possit. Tertio, gaudendo quòd in cælis ab Angelis & Beatis, in hac verò vitâ à Christianis, iustus præsertim ac sanctis, aliquatenus colatur,

& ametur; & quòd eius corpus & Anima in cælis tam beata sit & tot donis ornata. Quarto, dolendo quòd tot peccata contra illum facta sint, fiant, vel futura sint, à te & ab aliis. Quintò, desiderando, Primò, ut, quàm primum fieri potest, cessent peccata & imperfeciões in mundo. Secundò, ut iusti multiplicentur; & sancti proficiant maximè in sanctitate cum perseverantia. Tertio, ut infideles, & alij ad verum fidem perducantur. Quarto, ut Deus, & Christus, ut homo, positivè honoretur, & ametur ab hominibus, eo modo, quo Deus ipse vult se & Christi Humanitatem amari, & honorari.

Septimò, distingue in Christo, ut Deo, attributa eius Diuinitatis, & alias perfectiones, & earum occasione diuersos actus elicias: Primò, cogitando de eius independentia, seu de eo, quod est à se, ut Theologi dicunt; & roga, ut eandem tibi det, ut ab alio nullo dependeas, nisi ab eo, & à superioribus solis propter eam. Secundò, de eternitate, & roga longam vitam ad agendum, & patiendum pro eo. Tertio, de immensitate; & desidera ut in omnibus locis cognoscat, & ametur; & pro illis peccatis quæ sunt alicubi, in quandam recompensationem elice intentum actum adorationis & amoris erga illum. Quarto, cogitando de infinità vi Christi Domini effectus naturales & supernaturales producendi, & roga, ut tibi omnis generis dona naturalia & supernaturalia det, ut ita possis esse, quasi esca quædam ad capiendos omnes homines, & ad eius amorem adducendos, vel tanquam retè quoddam. Quintò, de eius infinita sapientia, & roga ut det tibi scientiam rerum illarum, quibus eges ad instructionem tui & aliorum: donum consilij, prudentiæ, discretionis spiritum, & societati profectum in literarum Studiis. Sextò, de Bonitate illius; & roga ut in actibus tuis Deus non videat nisi bonitatem: quod fiet, si omnes actus tui liberi fiat sine imperfeciõibus & propter finem supernaturalem, scilicet Deum. Septimò, de eius Filiatione ac Hypostasi, per quam Christus constituitur in esse Filij; & roga, ut ipse tibi, quântum fieri potest, tam libenter & copiosè (proportionaliter loquendo, & de potentia ordinaria) cõmunicet perfectiones naturales & supernaturales gratiæ, & gloriæ, quæ filiis suis per adoptionem concedi possunt, quantum ipsi per generationem actiuam fuerunt communicata illa, quæ ipse habuit in se, ut est cõpositum quoddam ex filiatione & natura humana. Postremò cogitando de concursu eius actuali ad omnes actiones creaturarum; & roga, ut, sicut ille actualiter suum concursum, quo tecum & in te, concurrat ad actiones tuas, refert ad se tanquam ad finem, ita omnes & singulas actiones, nullâ neglectâ, actualiter ordines ad eum, propter eum, idque ita perfecte; ut nulla res in actionibus tuis in recto vel obliquo sit, ad quam Deus directè



directè non concurrat, vt nullus defectus in iis reperitur; hunc enim solum Deus producere non potest.

Eodem modo alias perfectiones in Deo distinguere poteris, & earum occasione alios actus elicere, v.g. gaudij, gaudento, quod illas perfectiones Deus habeat in se: Gratiarum actionis, quòd eas nobis manifestarit, & effectus ad hoc proportionatos iis; nobis communicarit. Simili modo distinguendæ sunt perfectiones Humanitatis Christi, tam & ex quæ ad integritatem spectant naturæ humanæ, vt sunt corpus cum membris, Anima cum potentiis rationalibus, & irrationalibus, quàm quæ naturæ superadditæ sunt, siue sint habitus siue actus, ij vel permanentes, vt visio beatifica, vel transeuntes, vt actus loquendi, orandi, miracula patrandi &c.

In considerandis autem animæ potentiis & habitibus, inter cætera rogabis Christum, vt potentias tuas efficiat quàm simillimas, suis, ita eas ornando habitibus, sicut eius potentia ornata erant, & ita excitando eas ad actus, sicuti excitabat suas. Considerando quodlibet membrum Christi ante te pendentis in cruce, rogabis, vt sicut in eo verbum dirigebat ea membra, & mouebat perfectissimo modo, ita etiam ingressus ipse ad te in sanctissima Communione, non modò potentias internas, sed etiam omnia membra & actiones externas dirigat, vt sis quoddam exemplar, & veluti imago Humanitatis Christi, exprimendo omnes actiones tuas internas quàm simillimè illi modo, quo Christus Dominus, vt homo faciebat intus & extra; hæc est enim transformatio, quæ à sanctis Doctoribus numeratur inter fructus Communionis.

116. Vltimo claudenda est tota Communio & Gratiarum actio, præsentando Christum Dominum in sanctissima Eucharistia susceptum spiritibus beatis,

Ad Angelos sanctos: Aspiciate Ministri Altissimi, verbum illius facientes, primogenitum Patris æterni, quem introeuntem in orbem terrarum, iussu Patris adorastis, & facite me in eo spiritu & veritate illi seruire, quo vos eidem in hac vita seruistis, & nunc in illa beata & cælesti seruitis.

Ad SS. Patriarchas & Prophetas: Aspiciate cælestes nuntij, conscij mirabilium secretorum, promissum ab initio mundi Redemptorem, quem desiderastis, & tanto tempore expectastis; & facite me totis viribus & affectibus cordis ad ipsum anhelare, & post ipsum dilectum meum die ac nocte suspirare.

Ad SS. Apostolos: Aspiciate Euangelij prædicatores clarissimi vestrum dilectissimum Magistrum, quem toto corde tam ardentè amastis, & facite me eundem super omnia intimis cordis medullis feruenter amare.

Ad SS. Martyres Aspiciate testes fidei fortissimi Christum crucifixum, pro cuius amore sanguinem vestrum tam libenter fudistis, & facite me pro eius amore perpetuis cruciari molestiis, & semper in cruce viuere, & cruce quàm molestissima, siue naturæ imperio siue manibus impiorum ad Dominum meum migrare.

Ad SS. Confessores Pontifices: Aspiciate Pastores gregis Domini Agnum immaculatum, quem omnipotenti Deo in sacro altari, in odorem suauitatis immolastis; & facite me in tanto sacrificio occupatum, dignè illud Deo offerre, & me ipsum tam sacræ oblationi associatum, perpetuò eidem per opera sancta quàm maximè in odorem suauitatis immolare.

Ad SS. Confessores Religiosos: Aspiciate, ferui fideles Domini mei, dulcem & dilectum Dominum vestrum, pro quo omnia huius mundi oblectamenta, & affectu & re ipsa reliquistis; & facite me pro eiusdem amore in hoc statu pauperulo vsque ad mortem perseuerare, & ad magnæ sanctitatis fastigium peruenire, purè propter Dominum Deum meum.

Ad Beatos Societatis nostræ: Aspiciate Fratres charissimi Ducem vestrum, cui vos verbo & exemplo tantopere in hac vita conformastis; & facite me & omnes Fratres nostros adhuc pro eius honore in S. Ecclesia militantes copiosam animarum prædam, sine detrimento nostræ Professionis reportare, & auctos quàm plurimis & optimis operariis ad eandem vineam vocatis, cum grandibus manipulis meritorum ad vestram & Ducis nostri Societatem peruenire.

Ad SS. Virgines: Aspiciate, sponsæ Agnimmaculati, dilectum vestrum, cui vestram virginitatem cum tanta exultatione conseruastis, & facite me purum corde, & opere semper oculis Dilecti mei, & vestri apparere, & purum ab omni labe peccati & penæ obligatione ex hac vitâ rectè ad cælum migrare.

Ad omnes SS. Aspiciate mei amici Charissimi, consolatio pauperulæ animæ meæ, Magistrum, Authorem, & præmium vestræ sanctitatis, & facite me iisdem passibus in magna & spiritui Societatis conformi sanctitate semper procedere, quibus annorum meorum series perpetuò crescens nunquam in eadem nota subsistens, voluitur.

Ad D. Iesum, Recedo à te modicum, Domine mi, sed non sine te, consolatio, felicitas, & omne bonum animæ meæ, & me tuæ amplissimæ charitati, cum omnibus Fratribus, amicis & inimicis nostris vehementer commendo. Ama nos Domine, quantum potes, & tuo amore inebria, & transfor-



ma nos quam similimè in te gaudium & exultatio cordis nostri: & fac, vt toti simus in te, toti occupemur in te, & propter te, nihilque sit obiectum verborum actionumque nostrarum internarum & externarum, nisi tu, amor noster, & omne bonum nostrum; qui viuus & regnas &c.

Vltimò dic: Respice quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradicentium, & erucis subire tormentum; qui viuus & regnas &c.

LIBER SECVNDVS.

DE OFFICIIS SACERDOTVM, CONTINENS

XII. Incitamenta, seu motiua ad deuotè & cum debitâ reuerentiâ offerendum Missæ sacrificium.

INDEX CAPITVM

LIBRI SECVNDI

Proemium.

Primum Incitamentum, est Excellentia sacrificij, quæ ex variis capitibus agnoscipotest. CAP. I.

Secundum Incitamentum, de eius excellentiâ ratione oblationis ipsius. CAP. II.

Tertium Incitamentum, potestas quam Deus nobis contulit per ordinationem Ecclesiasticam. CAP. III.

Quartum Incitamentum, persone concurrentes ad hoc sacrificium. CAP. IV.

Quintum Incitamentum, is cui offertur, scilicet Deus vnus & trinus. CAP. V.

Sextum Incitamentum, Repraesentatio realis Passionis Christi. CAP. VI.

Septimum Incitamentum, finis ob quem à

Deo institutū Missæ sacrificiū. CAP. VII.

Octauum Incitamentum, valor & efficacia huius sacrificij. CAP. VIII.

Nonum Incitamentum, infinitas quadam valoris ex sacrificij huius opere operato. CAP. IX.

Decimum Incitamentum, ex fructibus qui percipiuntur benefico huius sacrificij. CAP. X.

Vndecimum Incitamentum, multitudo & magnitudo necessitatum pro quibus offertur hoc sacrificium. CAP. XI.

Duodecimum Incitamentum, summa inter humanas excellentias, sacerdotum dignitas. CAP. XII.

P R O O E M I V M.



Am de reuerentiâ & deuotione, quam adhibere debemus in offerendo Deo sacrificium Missæ, vt Sacerdotes illud benè offerendo, & ipsi in se plenum e us sortiantur effectum, & vt alij per eos, tam viu quam defuncti, eodem sacrificio deuotissimè oblati, quam maximè adiuuentur. Spero autem mihi quoque futuram salutarem, & Christo Domino valdè acceptam huius rei tractationem. Scriptum est enim Dei iussu, de S. Gêtrude Virgine, quòd dum audiret Missam, & tempore Canonis viuorum consideraret admirabile opus paulò post futuræ consecrationis, & inde expectaret portionem suam, audiuit dici sibi à Domino: Cum mater aliqua, artificiosa aliqua operari voluerit, de serico vel margaritis; quandoque

paruulum suum in eminentiori loco ponit, vt sibi solum vel margaritas teneat, vel aliquod tale adiuuamen impendat. Sic ego te in gradu eminentiori statuò, piet. Missæ huic interesse disposui. Tu verò si extendis voluntatem tuam ad hoc, quòd libenter, quantumcunque difficili labore; ad hoc seruire velles, vt hac oblatio, (quæ omnibus Christianis, tam viuus quam defunctis prodest) secundum dignitatem suam, plenum sortiretur effectum, tunc optimè pro modulo tuo me adiuuisti ad opus meum. Et quidem non dicam de omni ea reuerentiâ & deuotione, cum quâ deberet dici à nobis, & cum quâ dicebatur à sanctis nostris Ignatio & Xauerio & aliis, sed tantum de ea reuerentiâ & deuotione in gradu inferiore (ne plus exigendo, multum videat exigere); cum qua dici debet à Sacerdotibus, etiam secularibus: vt si nolamus imitari sanctorum reuerentiam

T rian